Dom. Hilarionis Roncati ex dono
Rev.mi P. Generalis Congregationis S. Mauri

BIBLIOTHECA PATRVM ASCETICA.

SIVE.

SELECTA VETERVM PATRVM DE CHRISTIANA ET RELIGIOSA PERFECTIONE OPVSCVLA.

TOMVS PRIMVS.

Verba Sapientium sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi, quæ per Magistrorum consilium data sunt à Pastore vno. Eccl. 12. 11.

PARISIIS,
Apud FREDERICVM LEONARD, viâ Iacobæâ ad insigne Scuti Veneti.

M. DC. LXI.

LECTORI.

PIÆ Lectionis cùm necessitatem tum vtilitatem hîc longiùs retexere superuacaneum est, quòd eæ illi soli ignotæ sint, qui ne primoribus quidem labris artis asceticæ rudimenta delibauit. Dixisse satis sit, absque illius adminiculo vix vnquam ad culmen vsque Euangelicæ perfectionis turrim assurgere posse: cùm illa thesaurum effodiat vnde suppetant sumptus ad sublime hoc ædificium perficiendum necessarij.

Certè hortatur nos Cælestis Magister: *Scrutamini scripturas;* quasi dicat: Spiritus sancti oracula indagate, literas de patria vestra aperite, adite regium diuinæ Sapientiæ conuiuium. Et meritò; Est enim, vt diuus ait Augustinus: Sacrarum lectio » scripturarum diuinæ præcognitio non parua beati- » tudinis. In his enim quasi in quodam speculo ho- » mo seipsum considerare potest qualis sit, vel quò tendat. Quia tamen haud cuilibet *datum est nosse mysterium regni Dei;* & *amicus est sponsi qui stat & audit eum;* neque cibi adeo solidi capax est imbecillus stomachus: prouidit Paterfamilias Ministros qui paruulis petitum panem frangant; *dedit Doctores ad*

Ioan. 5. 39.

Ser. 112. de Temp.

Luc. 8. 10.

Ioan. 3. 29.

Eph. 4. 11.

ã ij

consummationem Sanctorum, *in opus ministerij*, *in ædi-*
1. Cor 13.12. *ficationem corporis Christi*, *donec non per speculum in ænigmate*: *sed facie ad faciem* ostendat nobis seipsum, & ibi sine Codice in Verbo legamus. Sanctos, inquam,
Ecc. 15 51 Patres, *impleuit Spiritu sapientiæ & intellectus*, qui sacros illos apices, in quibus morum est omne magisterium & speculum justæ conuersationis, rudibus aperiant, qui velut fortissimi atque exercitatissimi duces, viarum ignaris atque inter hujus seculi tenebras gradientibus exploratas itineris seu spiritalis vitæ semitas demonstrent, qui debiles ac titubantes confirment sustenténtque, qui religioso tandem fidei virtutumque ductu in mysteriorum secreta nos dedu-
Eph. 3. 18. cant: *vt in charitate radicati & fundati possimus comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo & longitudo & sublimitas & profundum, scire etiam supereminentem scientiæ claritatem Christi, vt impleamur in omnem plenitudinem Dei.* Hæc siquidem lectio Do-
Dion. Carth Institut. ad Nouit. art. 12. minicæ plebi dare potest scientiam salutis: quæ scilicet, compunctionem inducit, deuotionem nutrit & inflammat, timorem Dei in corde stabilit, ad vitiorum horrorem, ad mundi contemptum, ad sui ipsius aspernationem incitat: quæ docet modum ac ordinem spiritalis profectus, reformationem passionum, remedia ac triumphum tentationum & exercitationem internam. Vnde peritissimus Asceticæ disciplinæ præceptor S. P. BENEDICTVS, cùm diuini seruitij scholam conderet, præ cæteris alumnos
Regul. c. 73. suos monens, Cæterùm, *inquit*, ad perfectionem qui tendit, sunt doctrinæ Sanctorum Patrum, quarum obseruatio perducit hominem ad celsitu-

» dinem perfectionis. Quæ enim pagina, aut quis » ſermo diuinæ authoritatis veteris ac noui Teſta- » menti, non eſt rectiſſima norma vitæ humanæ? Aut » quis Liber Sanctorum Catholicorum Patrum hoc » non reſonat, vt recto curſu perueniamus ad Crea- » torem noſtrum? Hac etiam paterna monitione animati Superiores Congregationis ſancti Mauri in Gallia, cupientes vt crebrum ſit omnino ac familiare Monachis ſuis hujuſmodi ſtudium: perpendentes tamen præ vitæ breuitate ac tenuitate immenſa Patrum volumina, & variis de rebus, provt Eccleſiæ neceſſitas ſuo tempore poſtulauit, conſcripta, vix poſſe quemlibet fructuosè percurrere, neque etiam ſingulis in Monaſteriis tantam Librorum congeriem coaceruari, quanta eſſet opus vt ſuus cuilibet de eodem Authore Codex ſubminiſtretur: prouidè ſtatuerunt in poſtremis generalibus Congregationis Comitiis ann. 1657. & 1660. vt ex tota illa Librorum multitudine vtiliſſimi ac religioſo propoſito magis accommodi ſeligerentur, necnon minori formâ prælo ſubjicerentur Tractatus, quò vnicuique poſſit fieri ſatis, ſimulque ſpirituali conſulatur profectui quem copioſo cum fœnore promittit continuata diligentiùs hujuſmodi exercitatio. Et quandoquidem anguſtis finibus contineri charitas non amat, quæ ſe omnibus debere profitetur, conſultò ita digeſtum eſt totius Collectionis opus, vt non Aſcetis modò ſed omnibus etiam veræ pietatis amantibus proficuum eſſe poſſit: cùm ea generatim Patrum Opuſcula, quæ virtutum omnium homini Chriſtiano expetendarum praxim juuare & mentem à rebus caducis ad æternarum

amorem auocare atque accendere poſſunt, complectatur; imò ex ordine temporum, quoad fieri potuit, pro Authorum ætate diſtributa collocare placuit: quatenus auita pietas ad noſtra vſque tempora velut hereditario jure deuoluta, degeneres pudore ſuffundat nepotes, & adeo perfecta exempla præ oculis habentes ad imitationem ſedulam generoſa ſtimulet æmulatione. Studium noſtrum, Lector, æqui bonique conſulas velim, huncque tantillum laborem eo excipias quo tibi offerimus, animo, ad D. nempe O. M. gloriam, tuumque in virtutibus profectum, quem tibi ex intimis viſceribus in Chriſto precamur.

SERIES AVTHORVM

ET OPVSCVLORVM

Quæ in hac prima parte continentur.

TRACTATVS.

Martyr occubuit Valeriano & Gallieno Principibus. Anno Chr. 261.

Obiit anno Chr. 405. natus annos 110.

De Orsiesio, ejusque Regula hoc habet Elogium Gennadius in Catalog. Scriptor. Ecclesiast. c 9. Oresiesis Monachus, ambórum, id est, Pachomij & Theodori Collega, vir in sanctis Scripturis ad perfectum instructus, composuit librum diuino conditum sale, totiusque Monasticæ disciplinæ instrumentis constructum, & vt simpliciter dicam, in quo totum penè vetus & nouum Testamentum compendiosis dissertationibus, juxta Monachorum duntaxat necessitatem inuenitur expositum: quem tamen vice testamenti prope diem obitus sui Fratribus obtulit.

SANCTI

SANCTI IVSTINI
PHILOSOPHI ET MARTYRIS
AD ZENAM ET SERENVM.
EPISTOLA.

DE absurda quorundam per præsumptionem susceptа institutione inutilique doctrina, quam traditam ab hominibus hereditario iure acceperunt ij qui eadem quæ Pharisæi & sentiunt & faciunt, in Epistola, quam ad Papam misi, omni cum diligentia disserui. Sed ne paulò ad accusandum propensior videar, atque vt occasiones salutares ijs, qui se præclarè gerere volunt, præbeam, cùm in ea Epistola, quam ad Principes dedi, sanè diligenter, vt ego existimo, rem ipsam tractauerim: vobis etiam non dubitaui scribere vt pueriles quorumdam viuendi rationes cognosceretis. Cognitio enim generis viuendi eorum,qui rationem ducem in vita non sequuntur, prudentes eos efficit, qui diligentiam, curamque adhibent, ne in similia incidant.

Vobiscum igitur optimè agitur, si ex ijs, quæ in promptu sunt, viri probi euadatis: sedenim multis varijsque seculi huius quasi fluctibus animi nostri sensa conturbantur, dum in mundum distrahimur. Vnde Saluator,cùm ex eo se esse negat, *Ioan. 8. 23.* nos quoque ab illius commercio & quasi contagione auocauit, *& 17. 14.* dans nobis consilium vt & veritatem amemus, & susceptâ virtutis cœlestis perfectione, quidquid seculorum Pater velit ac iubeat perficiamus, & à dissensione atque obtrectatione mundana procul absimus. Discordat enim secum omnis qui irascitur, animusque qui bellum ac inimicitias amat, in se ipse

ſolitus eſt incurrere. Iam enim quoſdam, cùm ignorarent quibus de rebus proximorum, qui cauſas irarum eis dederant, commouerentur, ſemetipſos corroſiſſe & doloribus confeciſſe ſcimus. Nihil ergo in eum, qui aduerſari nobis conatur, dicendum eſt quod eius animum offendat, ſed tranquillo animo & quieto, hoc tantùm: non tantum vires tuæ poterunt vt mihi animum moueas.

Prouidendum eſt etiam nobis, vt pacato ſimus animo, redeamuſque in gratiam cum ijs qui à nobis diſſident, & ne animo parentes dicamus interdum: Eo ſum ingenio, vt non poſſim non iraſci, & animo commoueri; interdum etiam nos à ſocietate orationis ſecedamus. Nam & ſecundùm naturam adhuc viuere, eius eſt qui nondum Chriſti fidem recepit; & obtrectare propter inuidiam, eius eſt qui procul abeſt à veritate. Quiuis ergo nobis obiurgandus eſt ſine vlla iniuriarum recordatione, ſic vt obiurgationem non quæſiſſe videamur. Nonnullos autem ſcimus, dum progreſſum in ijs quæ ad carnem pertinent, faciunt, trahere ad iræ ſuæ defenſionem Euangelium, velleque Saluatoris noſtri diſciplinam & verba, procliuitati ſuæ quam probant, accommodare; Quibus ſi hoc eueniſſet vt aliquos gehennæ poſſent tradere, totus etiam mundus iam ab eis conſumptus eſſet; quanquam, quantum in ipſis eſt, & condemnant, & ignis fornaces aperiunt: Quo circa eos ne imitemur.

Vobis præterea cenſeo videnda ea quæ videnda ſunt, corrigendumque proximum vt decet, ac primùm quidem meditatus cùm ſæpe quis erit id quod ſuſpicionem afferat, ne quid fortè falsò ſentiat; deinde ſi bene animo affectus eſſe videatur, tum eum admonere tantiſper dum aut conſilijs pareat, aut certè ſeipſum propenſum præbeat. Nobis autem magnam animi tranquillitatem hoc afferre poteſt, ſi neque nos primas obtinere ſtudebimus, neque offendemur, ſi alij eò velint peruenire; ſed ijs, qui ſeipſi inſinuant & approbant, ea concedamus, ad quæ Seruator in ſe credentes non inuitauit. Si quis autem clamet, reticere; ſi quis alterum ſe viciſſe putet, eum irridere debemus; non falsâ gloriâ ducti, eorum qui adſunt & audiunt causâ, verbis paribus retorquendis, eandem etiam verborum quaſi pugnam viribus receptis reſtituere. Hoc enim cogitet qui malè dicit: Ego iniuriam feci; qui verò tacet,

cogitet; ego iniuriam accepi, & reddere nolui, aut non ausus sum: sed mihi præsto fuit, quia mihi recti conscius eram, lenis sermo, vel taciturnitas. Et qui iniuriam facere videtur, ne elato animo ductus fratrem suasione conciliare grauetur; & qui obiurgatur ne succenseat, sed propinquum consoletur. Obuiam enim prodire sibi inuicem debent duo qui reduci in gratiam cupiunt, quippe cùm patrem filio ad pœnitentiam redeunti obuiam prodiisse constet, nec expectasse, sed seipsum *Luc. 15. 20.* contrà ad illius resipiscentiam contulisse. Benignitas enim, quam fides parit, vtrumque in gratiam etiam reducit; atque is quidem qui iniuriam intulit, amico propter peccatum fidem facit; qui autem accepit iniuriam, dolebit quoque se amico succensuisse.

Ergo ab omni appetitu cupiditateque carnali vacuus Christianus esse debet. Latrocinatur enim qui non est eiusmodi, Deique templum diripit, atque vt audaciùs dicamus, ipse à se Deum eijcit; idemque & conscientiâ scelerum de spe salutis decidit, & alieno est animo in eos qui se admonent; & Adamo pro propugnaculo vtitur, & Euæ facinore gloriatur, cùm vnà cum Christo eum mori oporteat. Par est autem nos multa nobiscum in animis considerantes & versantes, ita demum sermones eiusmodi habere, qui reprehendi non possint, nec quicquam nugandi studio dicere, sed taciturnitate maximâ adhibitâ, moderatè respondere ijs etiam quibus respondere nos cogat necessitas. Suspiciones verò sinistræ fugiendæ sunt, examinandaque nostra opinio: & ad silentium non ira nos sed lenitas & clementia debet impellere. Nec verò alicui, qui paulo leniùs & indulgentiùs ametur, inuidere debemus, nec munus ambire, nec quasi quæstus causâ seruire, vt quod amarum est (vt aiunt) inuiti absorbeamus. Omnia autem quæ fidei consentanea sunt, facienda sunt rectâ regulâ. Qui enim non est eiusmodi, is etiam in funibus quasi ambulans paulò pòst corruet, etiamsi ijs, qui inertiæ propriæ conscij ad aliorum gloriosam iactantiam ore hianti obstupescunt, magna admiratione dignus esse videatur. Intelligendum est igitur, & quid gloriæ causâ exerceatur, & quid ad veritatem dum fit, dirigatur. Ob eamque causam ita sua cuique nauis gubernanda est, vt non gubernandi artem falsitatis accuset, nec tempestates metuat, & omnia, quæ ex contraria parte euentura sunt expectet. Ca-

ro enim etiam ſumus, nec in nobis quicquam boni ineſt. Eſt igitur medicus accerſendus ad curationem. Qui enim ita affectus erit, curabitur, morbumque declinabit.

Danda verò opera eſt, vt nec in ſermone videamur ignari, nec infracto ore abutamur. Illud enim inertem aut infidum, hoc ſtudijs rerum mundanarum deditum indicat. Victus verò non ad voluptatem referendus eſt, ſed ad viuendi alicuius vtilitatis causâ voluntatem. Quòd ſi quando etiam egeſtate opprimamur, paupertatem hilari vultu excipiamus. Si verò indolentiæ forma quæ ſit, breuiter ac paucis audire vultis, omnibus in rebus placabilem æquabilemque vultum oſtendite; tunc nec in diuitiarum abundantia gloriatione deijciemini, nec in egeſtate à dolore ſupplantabimini, quòd ſemper cogitatio menſque veſtra rationem rectam ducem ſequens vno ſoloque vultu appareat. Iam mundus omnis alienus habendus eſt, non noſter ac proprius plus quàm fides.* Neque igitur amicitia terrena quærenda eſt, neque luxus, quem amentes & ſtulti beatum eſſe dicunt, in vrbis magnitudine, vel rerum ad viuendum neceſſariarum abundantia & copia; quæ nec expetenda ſunt. Neque enim mundi huius ſumus, niſi fortè cognati & propinqui mundi huius eſſe volumus. Atque vt ſummatim dicam, qui benè viuere vult, is nec videat multa nec ſtudeat audire; nec, ſi audiat, aut videat, audire & cernere ſe exiſtimet. Forma enim tranquillitatis animi hinc ducit exordium. Qui autem multa tractat & agit, is & ſibi ipſe injuriam infert, & proximis; & præterea eos inuitos ad peccatum impellit propter eam, quæ ipſi eſt cum illis, contentionem. Sæpe igitur res, quæ incidit, perſpicienda & conſideranda eſt tumque ab ea vix debet diſcedere ac ſeiungi is qui morbum nec cauterijs nec ſcalpellis adhibitis vitare & declinare vllomodo potuit.

* *aliàs*, nec quicquam proprium præter fidem.

Conſuetudo cum re nulla, quæ mundum attingat, habenda eſt, ſed cum eo quod ad virtutem nos perficit. Hoc enim niſi fiat, magnam nobis ſcurrilitatem parit, atque is, qui contentiones rixaſque ſequitur, hinc captat occaſionem. Quoſdam enim ſcimus, qui animi ſui propoſitum ſententiamque ſequuti, quantum in ipſis eſt, ex nocte diem faciant, & propter abſurdam ſententiam, quæ in eis radices egit, & quaſi callum obduruit, aliquorum correptionibus non pareant, ſed ijs offendantur, & ſimul atque aliquid mali audierunt, ijs potiùs

fidem habeant qui mentiantur. Quid enim attinet me de ijs dicere, qui propterea quòd vix vlla religione tanguntur, proximorum ſermones ad ſe trahunt & conuertunt, atque vt aliquid aliud de quouis dicant, ſermonem ad ſe putant pertinere, fingique & confici, vt veriſimile eſt, ex ijs comœdiam, quibus ſatis eſt ſuſpicionibus ad loquendum ſcribendumque duci? Ridere etiam poſſum eos qui clam cum aliquo ex proximis verborum capita conſtruunt, & colloquia, quæ & ad rem nullam bonam pertinent, & diſſidia bellaque loquacitate atque obmurmurationibus pariunt, vbique in ſcæna diuulgant. Quemadmodum ille, qui clamore ingenti Oreſtis perſonam egit, horribilis & magnus apud ſtultos & ligneis pedibus commentitioque ventre & abſurda veſte vultuque monſtroſo iudicatus eſt. Eodem quoque modo qui æmulationem in ſe eſſe profitentur, licentiæque ſtudent, quia vincere volunt, æmulatore deuorato omnem fictæ libertatis ſpeciem aſſumunt; ſicut Bacchæ ſpecie pacis haſtas in Thyrſis circumferunt.

Hoc etiam cauendum eſt, ne interdum hilari lætoque vultu, interdum triſti prodeamus: & ſi verum fatendum eſt, vitare debemus id quod rem & quaſi comœdiam duodecim partium quotidie promittat. Dicam enim quod mihi videtur, omnem hominem, qui ſententiam ornare & diſſimulare ſoleat, & de recta regula atque via deflectat, ſuo ſe iudicio condemnare: cùm ſciat & quod de induſtria facit, & bellum quidem ſciat quod in ipſo eſt, pacem autem in animo non ſequatur. Amici omnes colendi ſunt, nec eſt obiurgatio ſolùm exercenda, ſed etiam audienda. Vino vtendum eſt quando iam lectioni non incumbemus. Qui enim eſt eiuſmodi, is ebrioſus eſt & præcipiti conſilio, & ſemper calet. Cùm quiſpiam loquitur, nec irridendus eſt, nec arcendus, ſed ferendus quoad propter ſilentium erubeſcens finem faciat. Conſilium vtile per vnum publicè dandum eſt omnibus. Admonendus eſt is qui in errore *Matt.18 15* verſatur & peccat, non publicè, niſi neceſſe ſit propter contumaciam & faſtidium. Cum mulieribus maiore cum cura colloquendum eſt, propter earum arrogantiam. Quandiu enim aliqua claram illuſtremque ſe facit, & mulier eſſe defenditur, & otio deſidiæque vacat; fœmina eſt, nec propter eiuſmodi animi ſenſum fidelis eſt. Neque igitur eas exagitemus, quin nec eis aſſentemur.

Quod autem carum habemus, id cum periculo ne faciamus. Vitij enim multas in partes tributæ sunt occasiones. Quocirca ita vigilandum est nobis, vt & in Seruatoris sermonibus versemur, nec de quoquam aliquid sinistri aut mali dicamus vel audiamus. Scabie enim animus laborat, plenusque est malorum succorum ex alijs colloquijs. Itaque & vtiles res solæ audiendæ, & faciendæ sunt secundum Euangelium; quæ autem quasi supplantant animum, fugiendæ. De verbis diuinis ponendæ sunt quæstiones, in quo præclarè res habebit, si prudenter ponantur. Sin minùs, si etiam, vt ab idiota; stulto enim, qui de sapientiâ quærit, sapientia tribuetur. Qui autem prudens iudicio suo videtur esse, ei magnæ ignominiæ nota inuretur. Dicitur autem à Spiritu amens & stultus is, cuius sensus ignoratione deprauatus & corruptus est vt sit id quod stultum est, idiota, sicut etiam quod est simplex. Scribit etiam
1. Cor. 2. 16. Paulus: *Quis nouit sensum Domini qui instruet eum?* Et rursum: *Nos autem Christi sensum habemus.* Qui enim inconsideratè & temerè quæ non decet & dicit, & facit, is quanquam habitus est prudens, tamen stultus iudicatur; ipse autem deprimendus & demittendus est, non verbo tantùm sed etiam re & factis, vt ne impostores nos atque assentatores, sed clementes præbeamus.

Debet etiam is qui rectam viuendi viam sequatur, quiescere & à negotijs curisque vacuus esse, ita tamen vt non iratus aut vincendi studio taceat, sed consideret omne quod ex vsu sit, si rectè dici possit; ac tum denique vix loquatur. Hymnos, psalmos, cantica & laudes dicere debet, non quidem psalmorum cantu proximum offendere (quasi eum qui à se dissideat, obscurè iudicio suo ad aliqua deligenda damnet,) vt nec discrepare videatur & quodammodo intelligere tanquam ex arte illum æstimans, vincendi studium eiusmodi, quod reprehendi non possit, reddere. Audiendus est etiam is qui consilium dat, non solùm docendus. Fides autem ei perinde habenda est, quasi comprobantes eius consilium, amicitiamque etiam cum eo contrahere petamus. Prudentes alios esse existimare debemus, nec prudentiam nobis solis tribuere & quasi vendicare. In discrimen deducenda non est opinio quæ de existimatione nostra habetur. Corrector contemnendus non est, sed aut docendus est non sapientem se præbere in ijs quæ ad

ipſum pertinent, aut ſi id quod res eſt dicat, ei & credendum & parendum eſt. Pertinax enim in ſtudio victoriæ, ſcelus duplicat, & cùm abduci deberet à propoſito, vincere (vt eſt in fabula) Cadmeam victoriam ſtuduit. Cauſa autem eſt, vt & falſam gloriam conſequatur, quaſi minimè peccet, & in ea opinione, quæ de periculoſa eius affectione habetur, acquieſcat. Ridiculi enim ſunt ij qui totum diem clamauerunt, quòd ſe aliquam rem obtenturos eſſe ſperarent, in quos contentio malum ingerens, cùm in otio ſe eſſe putant, eos tum denique perturbat, quòd hoc vnum agant vt ſermonem habeant de ijs quæ in mundo excellere exiſtimantur. Illi etiam mimici & infortunati, qui nullius rei imperitos ſe eſſe iactant, ſed partim fabricam, partim ſutorum artem, omneque ſtudium quod eis proponitur temporis cauſâ tenere ſe profitentur, inimicitiaſque gerunt cum eis qui ipſorum amentiam & audaciam reprimunt.

Falſam etiam gloriam ſequuntur ij, qui hominum laudem auramque popularem aucupantes, proximorum res curant. Maximumque periculum impendet ijs, qui diem Domini implorant.* Nam cùm aut credendum ſit, vt iudicium effugiamus; aut etiam proximis venia danda ſit, vt nobis quoque à Deo peccatorum gratiam impetremus; illi iræ procliuitate contra ſe contractus colligant & vinciunt. Fugienda eſt etiam nonnullorum arrogantia, qui cùm ſeipſi corrigere moreſque ſuos deberent, parentes ijs qui dant conſilium admodum molliter; non me, inquiunt, tibi purgo, nec reſpondeo; retine eam, quam de me habes, ſuſpicionem. Quid enim attinet me de ijs dicere, qui ſibi placent, cùm eos quiſpiam admonere vult, & more eorum, qui in mundo viuunt, Nec tu me, inquiunt, conſeruare potes, nec condemnare? Noui ego multos qui propterea quòd vllius ſceleris conſcientiâ vix ducantur, & propter animi impuritatem proximorum peccatis lætentur. Improbandi ſunt etiam ij qui mentiuntur, propterea quòd non ſuccenſeant; atque ij, qui in ſermonibus & congreſſionibus placidos & manſuetos ſe præſtare ſtudent, ſed colore & oculis & latenti motu aut capitis aut ſuperciliorum, aut manuum ſonitu diffident. Fieri enim non poteſt, quin aliquis ſe ipſe accuſet & prodat. Omnis autem fidelis, cùm ab aliquo ſe irrideri arbitratur, pro ſenſu eius qui ita in ipſum animatus

* i. ad Christi tribunal prouocant.

eſt, viciſſim eius vitium malitiamque fallit, dum illius ingratum animum cognitum & perſpectum habet. Vt autem rem in pauca conferam: omnis, qui ſe conſiderat & iudicat, nulli culpæ affinis eſt. Eorum verò qui clamitant, nemo eſt conſtans. At omnis qui nunc pallidus eſt deinde rubeus, corporiſque temperatione commutatur, is quaſi chamæleon, in ardore & ſolitudine oberrat.

Conſiderandæ ſunt etiam nonnullæ affectiones in legendi ſtudio & exercitatione. Nam ſimul atque quiſpiam legit, prudentiæ etiam eius ratio ſe ipſa indicat ijs qui valent ad iudicandum. Animorum autem affectiones etiam ex vita declarantur. Ex ea enim exercitatione, quæ in conuictu adhibetur, eorum etiam, quæ non apparent, reliquiæ, quæ deſident, intelliguntur. Fugiendus eſt etiam litigioſus, qui arte ſe ipſum improbat quòd viciſſim non contendat vt vincatur, cui ſatius eſt vincere dando operam ne periclitetur quàm non rectam rationem in ſtudio ſequi. Sermones conferendi ſunt qui conſcientiam virtutis teſtem habeant, ambulationeſque ad corporis valetudinem referendæ, non propter aliquod negotium in quo pacta violenta & neceſſaria in proximos confingamus. Non erit alienum vrbanitate & iocis duritiem & moroſitatem delere eorum qui nimiùm ſapiunt. Nam propter id, quod à natura tributum eſt, neceſſe eſt hac de cauſa in locis quibuſdam remotis verſari; in quæ ſolent nonnulli diſſimulanter ſecedere, finemque commentationis aliquarum rerum in ſeceſſu componere. Vt autem comicus ille pater luxu diffluentem filium ſe ferre dicit, & ſi oleat vnguentum, negat ſe ſubodorari, tetro odore conans eius peccatum deſcribere: ſic ego ſuadeo paulò prudentioribus vt ijs, qui nimis duram viuendi rationem ſequuntur, exponant, eos nec quæ faciant ſcire, nec intelligere quæ dicant. Qui enim ſuo iudicio prudens eſt, is & monita aſpernatur, & in contrariam ſententiam trahitur & ei qui dat conſilium, fit aduerſarius, & ſecum id quod imbecillitatis humanæ proprium eſt, perfidiamque meditatur. Quare eiuſmodi nos præſtemus quos nemo iure culpare poſſit, non quod nobis tantùm videatur & placeat perficientes, ſed etiam quod ad multos pertineat, vt ſalutem conſequantur.

Iraſcendum autem eſt; benè quidem res habeat, ſi nunquam: inſaniæ enim & amentiæ eſt talis ſpecies. Si aliquando

& cogat,

& cogat, iracundiæ concedendum est ad proximorum curationem: Qui enim eam sine ratione sequitur eique paret, is primùm se odit, deinde proximum, dum & se perturbat, & illum dolore afficit. Scriptum est enim: *Omnis qui temerè fratri suo irascitur, reus erit iudicio.* Quod autem commotionis animi est proprium, aliquis per se ipse potest cognoscere. Scimus nonnullos qui iam monitis, quæ proximis adhibent, se condemnarunt. Quod enim quis alium docet, id priùs ipse faciat, ne imprudens per proximum contra seipsum ferat sententiam. Bonus ergo vir hoc secum debet dicere, quando nonnullorum peccatis mentem intendit: num ego etiam sum eiusmodi? Mat. 5. 22.

Vinum nec quotidie inebriandi causâ bibatur, nec sicut aqua requiratur: vtrumque enim Dei opus est; sed aqua necessaria est, vinum autem corporis adjumenti & præsidij causâ natum est: cui quidem lingua primùm impeditur & colligatur, deinde oculi lucent, tum pedes tremunt & nutant, postremò sensus officium suum non faciunt, is mortiferum venenum accipit, quòd ex ferro falcem aut aliquid eorum quæ terram excolunt non faciat, sed in gladium illud aut hastam mutet, Deique commutet ordinem & administrationem. Qui enim ebriosus est, cùm hyeme propter frigus potare deberet ad eum finem ne obrigesceret, æstate autem propter culturam eorum quæ intus sunt, dum eo abutitur, desipit & instar suum aut canum, eorum ciborum, quos cepit, fluxionibus incalescens, indecorè se gerit. Debemus autem non more helluonum Dei operibus improbè vti, sitim ad ebrietatem trahentes, sed potum sumere, ne sitiamus. Qui verò vinum sorbentes, ritu eorum qui in febre æstu iactantur, bibunt, mox intemperantiâ enecabuntur.

Fugienda est etiam nobis ingluuies, paucorum eorumque necessariorum sumptione & frugalitate: Vt enim corpus, cùm ægrotat, multa atque infinita remedia requirit: sic animus, qui ingluuie laborat, & malè se habet, propemodum etiam pellibus inferciri cupit. Quòd si quis causam quærat, corporis morbum fingit. Cui respondendum est, non omne studium quod cogitationis sententiâ sancitum sit, probatione, quæ facilè excusari defendique possit niti, vt etiam vsque ad adulterium, cædem & fugam patrocinium hoc inuenia-

B

tur & defensio, rectè fieri quæ ab ipsis fiant. Quj verò cùm dixit ei qui interrogat mali causam, si etiam respondet, sententiam admodum admirabiliter pronuntiauit: Alimentis vtendum, ne esuriamus: At qui ea ad illum vsum adhibet, centum cum manibus, quantum in ipso est, vult incedere, & cum quinquaginta capitibus, quæritque Geryones trium capitum ac sex manuum, & multis manibus, magnaque buccarum multitudine se ingurgitare studet.

Laudādæ nullomodo sunt diuitiæ, paupertas autem accusanda & exprobrāda non est. Illæ enim è delecta solidantur materia; sed materiæ finis est corruptio, & vermes, & ignis, & fures, & tyranni: hæc autem ab hoc quidem mundo secreta est, sed verum tantùm quærit, nec ab vlla re temporaria distrahitur.

Hæc vobis scripto proposui, ad tranquillitatem animi vos instituere volens, & ad perfectum absolutumque virtutis munus adhortari. Qui enim talis non est, is extra regulam legemque sibi datam & præscriptam currit, & propter ordinem quem non seruat, præmium amittit; & quanquam miser, fortium athletarum subsidium comparat, cibo, aut potione, aut veste sumpta; tamen coronâ minimè donatur. Atque hi quidem in Patris ciuitatem & vrbem, quam charam habuerunt, introducti æternum præmium consequentur; illi autem eo cibo, quem hîc acceperunt, veram non percipient voluptatem.

Mulieribus honos tribuendus est, adhibitâ cautione, ne peccetur à nobis, accedendumque ad eas cum integritate & cautione, non curiosè, cum metu periculosæ earum consuetudinis, consideratáque antea earum facili mutatione & conscientiâ ad id quod factum esse arbitrantur. In primis vitanda sunt earum studia & instituta, quibus clam se comere & ornare solent, quæ cùm abdito in loco sunt, & à se ipsæ condemnantur & proximis exitium afferunt. Solent enim nonnullæ, quæ se ipsæ decipiunt, quòd palam faciem ornare non audent, artificio hoc facere: in aquam enim, vel oleum subjectum ora demittentes, judicant, num cum temperantia bellum gerere possint. Quin alia etiam insidiarum ratio ab eis procuratur. In obscuro enim loco capitis cirros connectentes & stringentes, quasi proximos latere velint comam ornare se curiosiùs, & genas & capillitium digitis primoribus

attingunt; se autem etiam contemplantur & considerant, capite interim immoto. Versandum est ergo cum his talibus majore cum animi fortitudine, adhibitâ diffusorum ramorum nostrorum præcisione. Nam vt primùm capti sunt, assentiuntur, & à vulpibus, quæ in terra latitant, fructus deuoratur. Itaque, vt est apud Prophetam scriptum: Stimulis asinus adigendus est, flagrisque equus coercendus; vt & piger excitetur, & monitis castigationeque pulsetur, quòd fræni impatiens sit, is qui imperium recusat. Quare juxta Hieremiæ sententiam, Ne nos equos, qui ad insaniam fœminas amant, præbeamus, neque ad proximi vxorem hinniamus. Mulier quidem omnis soror est, sed proximi dicta est mulier, id est, Iesu-Christi Seruatoris nostri: quæ quidem secundum Deum & Parentem rerum omnium, quia proxima illius est, & honoranda & amanda est; quemadmodum Paulus scribit his verbis: *Despondi vos omnes vni viro, virginem castam exhibere Christo.* Est autem etiam proximi vxor in nobis caro, ad quam non est hinniendum. Hinnit autem is etiam qui nondum libidinem expleuit, cupiditate eum inflammante, etiam si ad finem non perueniat.

Prou. 26. 3 *Ierem. 5. 8.* *2. Cor. 11. 2.*

Pueri nobis curæ esse debent, quòd talium sit regnum Cœlorum. Ægri non sunt negligendi aut contemnendi, neque hoc afferre debemus nos ministrare non didicisse. Qui enim delicatam voluntariamque vitã aut insolitam prætendit, eadem sibi etiam euentura sciat; & cùm aliquid tale ei accidet, tum animi sui judicium quo se ipse condemnauit, accuset, cùm ea illi eueniant, quæ etiam ipse præparauit. Non igitur negligendus est is etiam qui nos negligat, Deus enim est qui judicat Qui beneficium accipere vult, beneficio dando proximi in se benignitatem congerat. Nec verò rectum est erubescere, ne quis nos, quia opere manuum viuimus, miseros atque auxilio destitutos existimet; hoc tantùm curandum est, ne quis vitij improbæque vitæ causâ eos, qui se Deum nosse dicunt, criminetur & reprehendat. Atque vt paucis absoluam, mundi hujus tristitia mortem parit iis qui ab ea vincuntur. Quæ autem ex Deo est tristitia, vitæ intelligentiam parit. Hoc autem in-primis intelligamus, & morbum nobis, qui ex carne siue corpore constamus, repositum esse & damnum, & indigentiam; eumque, qui ingratus futu-

rus sit, esse in propinquo. Itaque præmeditari debemus id quod venturum est ne veniens admirationem & stuporem animis nostris afferat. Qui enim ejusmodi est, malo quod euenerit, dicet: Sciebam te interuenturum esse, non me fefellit tui expectatio, prænoscebam aduentum tuum. Quòd si quis ita animatus erit, erecto erit animo, nec corruet. Conturbari autem repentino malo, aut clamare, sæpe autem etiam angi & dolere, admodum miseri est animi.

Virtuti igitur tantùm danda est opera, & ad eos qui de illa disserunt, adeundum. In quibus autem eorum quæ commemoro, non inerit actio, eos valere propter insidias jubeamus, & commilitones nostros requiramus. Qui enim & hoc studet dicere: Non sum Princeps, Magistratus & Iudex, & nihil boni agit, is velut à multis tyrannis victus, latitat, peccato seruiens, & eos qui per viam iter facere student, fugit. Quare is demum beatus est, cujus mundus & purus est animus: ab hoc enim vno Deus cerni potest. Ab inuidia autem & odio Fidelis, siue Christianus procul remotus esse debet. Precari verò quotidie debemus & verbo diuites esse, ac factis potentes; Membra enim alij aliorum sumus: ob eamque caussam vnà cum eo, qui patitur, patiamur; & cum eo, qui est in gloria, gaudeamus, eos vitantes qui Christi legem non probant.

Hæc vobis, FRATRES, facienda censeo, & præterea cæteros per vos ad Dei voluntatem perficiendam adhortatus sum. Dominus autem gloriæ, qui est in secula, det vobis omnibus, vt cum iis, quos elegit, honorem & requiem consequamini; cujus etiam gratia sit cum omnibus vobis. AMEN.

Q. SEPT. FLOR. TERTVLLIANI

DE ORATIONE

LIBER.

I. DEI Spiritus, & Dei Sermo, & Dei Ratio, sermo rationis, & ratio sermonis, & spiritus, Orationis Dominicæ dignitas. vtrumque IESVS CHRISTVS Dominus noster nobis, discipulis noui Testamenti, nouam *Mat. 6. 9.* orationis formam determinauit. Oportebat *& Luc. 11. 2.* enim in hac quoque specie nouum vinum nouis vtribus recondi, & nouam plagulam nouo adsui vestimento. *Mat. 9. 17.* Cæterùm quicquid retro fuerat, aut demutatum est, vt circumcisio; aut suppletum, vt reliqua lex; aut impletum, vt prophetia; aut perfectum, vt fides ipsa. Omnia de carnalibus in spiritalia renouauit noua Dei gratia superducto Euangelio expunctore totius retro vetustatis, in quo & Dei Spiritus, & Dei Sermo, & Dei Ratio approbatus est Dominus noster IESVS CHRISTVS: spiritus quo valuit, sermo quo docuit, ratio qua venit. Sic igitur oratio à Christo constituta, ex tribus constituta est, ex sermone quo enuntiatur; ex spiritu quo tantum potest; ex ratione qua suscipitur. Docuerat & Ioannes Discipulos suos adorare, sed omnia Ioannis Christo præstruebantur, donec ipso aucto, sicut idem Ioannes prænuntiabat illum augeri oportere, se verò deminui, totum præministri opus cum ipso spiritu transiret ad Dominum. Ideò nec extat in quæ verba docuerit Ioannes adorare, quòd terrena cælestibus cesserint. *Qui de terra est*, inquit, *terrena* *Ioan. 3. 31.* *fatur, & qui de cælis adest, quæ vidit, ea loquitur.* Et quid non cæleste, quod Domini Christi est, vt hæc quoque orandi disciplina?

Consideremus itaque, benedicti, cælestem ejus sophiam,

in-primis de præcepto secretè adorandi, quo & fidem hominis exigebat, vt Dei omnipotentis & conspectum & auditum sub tectis & in abditis etiam adesse confideret; & modestiam fidei desiderabat, vt quem vbique audire & videre fideret, ei soli religionem suam offerret, sequente sophia in sequenti præcepto: quod & si proinde pertineat ad fidem & modestiam fidei, si non agmine verborum adeundum putemus ad Dominum, quem vltrò suis prospicere certi simus; attamen breuitas ista, quòd ad tertium sophiæ gradum faciat, magnæ ac beatæ interpretationis substantiâ fulta est; quantúmque substringitur verbis, tantùm diffunditur sensibus. Neque enim propria tantùm orationis officia complexa est, venerationem Dei, aut hominis petitionem, sed omnem penè sermonem Domini, omnem commemorationem disciplinæ, vt re vera in oratione breuiarium totius Euangelij comprehendatur.

Mat. 6. 8.

Oratio Dominica breuiarium totius Euangelij.

II. Incipit à testimonio Dei & merito fidei, quum dicimus, PATER QVI IN CÆLIS ES. Nam & Deum oramus, & fidem commendamus, cujus meritum est hæc appellatio. Scriptum est: *Qui in eum crediderint, dedit eis potestatem vt filij Dei vocentur.* Quanquam frequentissimè Dominus Patrem nobis pronuntiauit Deum, immò & præcepit, ne quem in terris patrem vocemus, nisi quem habemus in cælis. Itaque sic adorantes etiam præceptum obimus. Felices qui Patrem agnoscunt: hoc est quod Israëli exprobratur, quod cælum ac terram spiritus contestatur: *Filios*, dicens, *genui, & illi me non agnouerunt.* Dicendo autem Patrem, Deum quoque cognominamus. Appellatio ista & pietatis & potestatis est. Item in Patre Filius inuocatur: *Ego enim*, inquit, *& Pater vnum sumus.* Ne mater quidem Ecclesia præteritur: Si quidem in filio & patre mater recognoscitur, de qua constat & patris & filij nomen. Vno igitur genere aut vocabulo & Deum cum suis honoramus, & præcepti meminimus, & oblitos patris denotamus.

Orationis Dominicæ per partes explicatio.
Ioa. 1. 12.
Mat. 23. 9.
Isai. 1. 2.
Ioan. 10 30

III. Nomen Dei Patris nemini proditum fuerat. Etiam, qui de ipso interrogauerat, [a] Moyses aliud quidem nomen audierat: [b] nobis reuelatum est in Filio. Iam enim Filius nouum Patris nomen est. [c] *Ego veni*, inquit, *in nomine Patris.* Et rursus: [d] *Pater, glorifica nomen tuum.* Et apertiùs: [e] *Nomen*

[a] Exod 3 14.
[b] Mat. 11. 27
[c] Ioa. 5 43.
[d] Id. 12. 28.
[e] Id. 17. 6.

tuum manifestaui hominibus. Id ergo vt SANCTIFICETVR postulamus. Non quòd deceat homines benè Deo optare, quasi sit & alius de quo ei possit optari, aut laboret nisi optemus. Planè benedici Deum omni loco ac tempore condecet ob debitam semper memoriam beneficiorum ejus ab omni homine; sed & hoc benedictionis vice fungitur. Cæterùm quando non sanctum & sanctificatum est per semetipsum nomen Dei, cùm cæteros sanctificet ex semetipso? Cui illa Angelorum circunstantia non cessant dicere, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Proinde igitur & nos Angelorum, si meminerimus, candidati jam hinc cœlestem illam in Deum vocem, & officium futuræ claritatis ediscimus. Hoc quantum ad gloriam Dei, alioquin quantum ad nostram petitionem, cùm dicimus *Sanctificetur nomen tuum*, id petimus vt sanctificetur in nobis qui in illo sumus; simul & in cæteris quos adhuc gratia Dei expectat, vt & huic præcepto pareamus, orando pro omnibus, etiam pro inimicis nostris. Ideóque suspensa enuntiatione non dicentes: sanctificetur in nobis, in omnibus dicimus.

Isa. 6. 3. *Apoc. 4. 8.* *Matt 5. 44*

IV. Secundum hanc formam subjungimus: FIAT VOLVNTAS TVA IN COELIS ET IN TERRA, non quòd aliquis obsistat, quominùs voluntas Dei fiat, & ei successum voluntatis suæ oremus, sed in omnibus petimus fieri voluntatem ejus. Ex interpretatione enim figurata carnis & spiritus, nos sumus cœlum & terra. Quanquam etsi simpliciter intelligendum est, idem tamen est sensus petitionis, vt in nobis fiat voluntas Dei in terris, vt possit scilicet fieri & in cœlis. Quid autem Deus vult quàm incedere nos secundum suam disciplinam? Petimus ergo substantiam & facultatem voluntatis suæ subministret nobis, vt salui simus & in cœlis & in terris, quia summa est voluntatis ejus, salus eorum quos adoptauit. Est & illa Dei voluntas, quam Dominus administrauit prædicando, operando, sustinendo. Sic enim ipse pronuntiauit, non suam, sed Patris facere se voluntatem. Sine dubio quæ faciebat, ea erant voluntas Patris, ad quæ nunc nos velut ad exemplaria prouocamur, vt & prædicemus & operemur, & sustineamus ad mortem vsque. Quæ vt implere possimus, opus est Dei voluntate. Item dicentes, *Fiat voluntas tua*, vel eo nobis bene optamus, quòd nihil mali sit in Dei voluntate, etiam si

Ioan. 6. 38

quid pro meritis cujúſque ſecus irrogatur. Iam hoc dicto ad ſufferentiam noſmetipſos præmonemus. Dominus quoque cùm ſub inſtantiam paſſionis infirmitatem carnis demonſtrare
Marc. 14. 36. jam in ſua carne voluiſſet: *Pater*, inquit, *transfer poculum iſtud.*
Luc. 22. 42 Et recordatus, niſi quòd mea non, ſed tua fiat voluntas. Ipſe erat voluntas & poteſtas Patris; & tamen ad demonſtrationem ſufferentiæ debitæ voluntati ſe Patris tradidit.

V. VENIAT QVOQVE REGNVM TVVM, ad id pertinet quod & fiat voluntas tua, in nobis ſcilicet. Nam Deus quando non
Prou. 21. 1. regnat, in cujus manu cor omnium regum eſt? Sed quicquid nobis optamus, in illum auguramur, & illi deputamus quod ab illo expectamus. Itaque ſi ad Dei voluntatem & ad noſtram ſuſpenſionem pertinet regni Dominici repræſentatio, quomodò quidam protractum quendam ſeculo poſtulant; cùm regnum Dei, quod vt adueniat oramus, ad conſummationem ſeculi tendat? Optamus maturiùs regnare, & non diutiùs ſeruire. Etiam ſi præfinitum in oratione non eſſet de poſtulando regni aduentu, vltrò eam vocem protuliſſemus, feſtinantes ad ſpei noſtræ complexum. Clamant ad Dominum inuidiâ
Apoc. 6. 10. animæ Martyrum ſub altari; *Quonam vſque non vlciſceris, Domine, ſanguinem noſtrum de incolis terræ?* Nam vtique vltio illorum à ſeculi fine dirigitur. Immò quàm celeriter veniat, Domine, regnum tuum. Votum Chriſtianorum confuſio nationum, exultatio Angelorum, propter quod conflictamur, immò potiùs propter quod oramus.

VI. Sed quàm eleganter Diuina Sapientia ordinem orationis inſtruxit? vt poſt cœleſtia, id eſt, poſt Dei nomen, Dei voluntatem & Dei regnum, terrenis quoque neceſſitatibus petitioni locum faceret? Nam & edixerat Dominus: Quæ-
Mat. 6. 33. rite priùs regnum, & tunc vobis etiam hæc adjicientur. Quanquam PANEM NOSTRVM QVOTIDIANVM DA NOBIS HODIE, ſpiritaliter potiùs intelligamus: Chriſtus enim panis noſter eſt, quia vita Chriſtus, & vita panis: *Ego ſum*, inquit,
Ioan 6. 35 *panis vitæ.* Et paulò ſuprà: *Panis eſt ſermo Dei viui, qui deſ-*
Ibid. 33. *cendit de cœlis.* Tum quòd & corpus ejus in pane cenſetur: *Hoc eſt corpus meum.* Itaque petendo panem quotidianum, perpetuitatem poſtulamus in Chriſto, & indiuiduitatem à corpore ejus. Sed & quia carnaliter admittitur iſta vox, non ſine religione poteſt fieri & ſpiritalis diſciplinæ. Panem enim

peti

peti mandat, quod solum fidelibus necessarium est: [a] cætera [a] *Mat. 6. 32.*
enim nationes requirunt. Ita & exemplis inculcat, & parabolis retractat cùm dicit: [b] *Nunquid panem filiis pater aufert,* [b] *Mat. 15. 26.* *Marc. 7. 27.*
& canibus tradit? Item: [c] *Nunquid filio panem poscenti lapidem* [c] *Luc. 11. 11.*
tradit? Ostendit enim quid à patre filij expectent. Sed & nocturnus ille pulsator panem poscebat. Meritò autem adjecit, *Da nobis hodie*, vt qui præmiserat: [d] *Nolite de crastino* [d] *Mat. 6. 34.*
cogitare quid edatis. Cui rei [e] parabolam quoque accommoda- [e] *Luc. 12. 17.*
uit illius hominis, qui prouenientibus fructibus ampliationem horreorum & longæ securitatis spatia cogitans, is ipsa nocte moritur.

VII. Consequens erat, vt obseruata Dei liberalitate, etiam clementiam ejus precaremur; quid enim alimenta proderunt si illi reputamur reuera quasi taurus ad victimam? Sciebat Dominus se solum sine delicto esse. Docet itaque, petamus DIMITTI NOBIS DEBITA NOSTRA. Exomologesis est, petitio veniæ; quia qui petit veniam delictum confitetur; sic & pœnitentia demonstratur acceptabilis Deo; quia vult eam *Ezech. 33. 11.*
quàm mortem peccatoris. Debitum autem in Scripturis delicti figura est, quòd perinde judicio debeatur, & ab eo exigatur, nec euadat justitiam exactionis, nisi donetur exactio, sicut illi seruo Dominus debitum remisit. Huc enim spectat *Mat. 18. 32.*
exemplum parabolæ totius: nam & quòd idem seruus à Domino liberatus, non perinde parcit debitori suo, ac propterea delatus penes Dominum, tortori delegatur ad soluendum nouissimum quadrantem, id est, modicum vsque delictum, eo competit quod remittere nos quoque profitemur debitoribus nostris. Iam & alibi ex hac specie orationis: *Remittite*, *Luc. 6. 37.*
inquit, *& remittetur vobis.* Et cùm interrogasset Petrus, si septies remittendum esset fratri: *Immo*, inquit, *septuagies* *Mat. 18. 21.*
septies; vt legem in melius reformaret, quòd in Genesi de Caïn septies, de Lamech autem septuagies septies vltio repu- *Gen. 4. 24.*
tata est.

VIII. Adjecit ad plenitudinem tam expeditæ orationis, vt non de remittendis tantùm, sed etiam de auertendis in totum delictis supplicaremus: NE NOS INDVCAS IN TENTATIONEM, id est, ne nos patiaris induci, ab eo vtique qui tentat. Cæterùm absit vt Dominus tentare videatur, quasi aut igno- *Iac. 1. 13.*
ret fidem cujusque, aut dejicere gestiens. Diaboli est & in- *1. Thess. 3.*

Gen. 22.

firmitas & malitia. Nam & Abrahamum non tentandæ fidei gratiâ sacrificare de filio jusserat, sed probandæ, vt per eum faceret exemplum præcepto suo, quo mox præcepturus erat, neque [a] pignora Deo cariora habenda. Ipse [b] à diabolo tentatus, præsidem & artificem tentationis demonstrauit. Hunc locum posterioribus confirmat: [c] *Orate*, dicens, *ne tentemini*. Adeò tentati sunt Dominum deserendo, qui somno potiùs indulserant quàm orationi. Eò respondet clausula interpretans, quid sit, ***Ne nos deducas in tentationem:*** hoc est enim; SED DEVEHE NOS A MALO.

[a] *Mat. 10. 37* [b] *Mat. 4. 1.* [c] *Luc. 22. 40*

Dicta superiùs de orationis Dominicæ sensu summatim perstringit.

IX. Compendiis paucorum verborum quot attinguntur edicta Prophetarum, Euangeliorum, Apostolorum, sermones Domini, parabolæ, exempla, præcepta? Quot simul expunguntur officia? Dei honor in patre, fidei testimonium in nomine, oblatio obsequij in voluntate, commemoratio spei in regno, petitio vitæ in pane, exomologesis debitorum in deprecatione, solicitudo tentationum in postulatione tutelæ. Quid mirum? Deus solus docere potuit, vt se vellet orari. Ab ipso igitur ordinata religio orationis, & de spiritu ipsius jam tunc cùm ex ore diuino ferretur, animata suo priuilegio ascendit in cœlum commendans Patri quæ Filius docuit.

Præter orationem Dominicam possunt & aliæ orationes superadjici.

Quoniam tamen Dominus prospector humanarum necessitatum seorsum post traditam orandi disciplinam; [d] *Petite*, inquit, *& accipietis*: & sunt quæ petantur pro circunstantia cujusque, præmissa legitima & ordinaria oratione, quasi fundamento, accidentium jus est desideriorum, jus est superstruendi extrinsecus petitiones, cum memoria tamen præceptorum, ne quantum à præceptis, tantum ab auribus Dei longè simus.

[d] *Luc. 11. 9.*

Vacui debent esse orantes omni ira & animi perturbatione.

X. Memoria præceptorum viam orationibus sternit ad cœlum, quorum præcipuum est: ne priùs ascendamus ad Dei altare, quàm si quid discordiæ vel offensæ cum fratribus contraxerimus, resoluamus. Quid est enim ad pacem Dei recedere sine pace? ad remissionem debitorum cum retentione? Quomodo placabit patrem iratus in fratrem, cùm omnis ira ab initio interdicta sit nobis? Nam & Ioseph dimittens fratres suos ad perducendum patrem: *Et ne*, inquit, *irascimini in via*, nos scilicet monuit. Aliàs enim via cognominatur disciplina nostra. Tum ne in via orationis constituti ad Patrem cum ira incedamus. Exinde apertè Dominus amplians legem,

Mat. 6. 23. *Gen. 4. 6.* *Gen 45. 24*

iram in fratrem homicidio ſuperponit, ne verbo quidem malo permittit expungi, etiam ſi iraſcendum eſt, non vltra ſolis receptum, vt Apoſtolus admonet. Quàm autem temerarium eſt aut diem ſine oratione tranſigere, dum ceſſas fratri ſatisfacere, aut orationem perſeuerante iracundiâ perdere. Nec ab ira ſolumodò, ſed omni omninò confuſione animi libera debet eſſe orationis intentio, de tali ſpiritu emiſſa, qualis eſt ſpiritus ad quem mittitur. Neque enim agnoſci poterit à Spiritu ſancto ſpiritus inquinatus, aut triſtis à læto, aut impeditus à libero. Nemo aduerſarium recipit, nemo niſi comparem ſuum admittit. *Mat. 5. 22.* *Eph. 4. 26.*

XI. Cæterùm quæ ratio eſt manibus quidem ablutis, ſpiritu verò ſordente orationem obire? quando & ipſis manibus ſpiritales munditiæ ſint neceſſariæ, vt à falſo, à cæde, à ſæuitia, à veneficiis, ab idololatria, cæteriſque maculis, quæ ſpiritu conceptæ manuum operâ tranſiguntur, puræ alleuentur. Hæ ſunt veræ munditiæ, non quas plerique ſuperſtitioſè curant ad omnem orationem etiam cum lauacro totius corporis aquam ſumentes. Id cùm ſcrupuloſè percontarer, & rationem requirerem, comperi commemorationem eſſe in Domini deditionem. Nos Dominum adoramus, non dedimus, immò & aduerſari debemus deditoris exemplo, nec propterea manus abluere, niſi quòd conuerſationis humanæ inquinamentum conſcientiæ cauſâ lauemus. Cæterùm ſatis mundæ ſunt manus, quas cum toto corpore in Chriſto ſemel lauimus. Omnibus licet membris lauet quotidie Iſraël, nunquam tamen mundus eſt. Certè manus ejus ſemper immundæ ſanguine Prophetarum, & ipſius Domini cruentatæ in æternum. Et ideò conſcientiâ Patrum hæreditarij rei nec attollere eas ad Dominum audent, ne exclamet aliquis Eſaïas, ne exhorreat Chriſtus: Nos verò non attollimus tantùm, ſed etiam expandimus è Dominica paſſione modulatum, & orantes confitemur Chriſto. *Ad orationem neceſſaria eſt animæ puritas potiùs quàm manuum ablutio; rejiciendum verò totius corporis lauacrum.* *Iſa. 1. 15.*

XII. Sed quoniam vnum aliquod attigimus vacuæ obſeruationis, non pigebit cætera quoque denotare, quibus meritò vanitas exprobranda eſt, ſi quidem ſine vllius aut Dominici aut Apoſtolici præcepti authoritate fiunt: hujuſmodi enim non religioni ſed ſuperſtitioni deputantur, affectata & coacta, & curioſi potiùs quàm rationalis officij, certè vel eo *Alij ſuperſtitioſi orãtium ritus exploſi.*

coërcenda, quòd Gentilibus adæquent: vt est quorumdam, expositis penulis orationem facere: sic enim adeunt ad idola

1. Cor. 11. 4

Nationes. Quod vtique si fieri oporteret, Apostoli qui de habitu orandi docent, comprehendissent, nisi si qui putant

* Penula vestis instar pallij.

a 2. Tim. 4. 13

* Sarabara, vestis fluxa quibus illustres vtebãtur.

* Tyara pilei genus, *aliàs* mitra

Paulum [a] penulam* suam in oratione penes Carpum reliquisse; Deus scilicet non audiat penulatos, qui tres Sanctos in fornace Babylonij Regis orantes cum sarabaris * & tyaris * suis exaudiuit. Item quod adsignata oratione assidendi mos est quibusdam, non perspicio rationem, nisi si Hermas ille, cujus scriptura ferè Pastor inscribitur, transactâ oratione non super lectum assedisset, verùm aliud quid fecisset, id quoque ad obseruationem vendicaremus. Vtique non: simpliciter enim & nunc positum est; cùm adorassem & assedissem super lectum, ad ordinem narrationis, non ad instar disciplinæ. Alioquin nusquam erit adorandum, nisi vbi fuerit lectus. Immò contra scripturam fecerit, si quis in cathedra aut subsellio sederit. Porrò cùm perinde faciant Nationes, adoratis sigillaribus suis residendo, vel propterea in nobis reprehendi meretur, quòd apud idola celebratur. Eo apponitur & irreuerentiæ crimen, etiam ipsis Nationibus, si quid saperent intelligendum. Si quidem irreuerens est assidere sub conspectu contraque conspectum ejus, quem quammaximè reuerearis ac venereris, quanto magis sub conspectu Dei viui,

Luc. 1. 11.

Angelo adhuc orationis astante, factum istud irreligiosissimum est, nisi exprobramus Deo quòd nos oratio fatigauerit?

Orandũ cũ modestia & humilitate.

XIII. Atqui cum modestia & humilitate adorantes magis commendabimus Deo preces nostras, ne ipsis quidem manibus sublimiùs elatis, sed temperatè, ac probè elatis, ne vultu quidem in audaciam erecto. Nam ille Publicanus, qui non

Luc. 18. 10.

tantùm prece, sed & vultu humiliatus atque dejectus orabat, justificatior Pharisæo procacissimo discessit. Sonos etiam vocis subjectos esse oportet; aut quantis arteriis opus est, si pro sono audiamur? Deus autem non vocis, sed cordis auditor est, sicut conspector: Dæmonium oraculi Pythij ***Et mutum***, inquit, ***intelligo, & non loquentem exaudio.*** Dei aures sonum

Ion. 2. 2.

expectant? Quomodò ergo oratio Ionæ de ventre ceti per tantæ bestiæ viscera ab ipsis abyssis per tantam æquoris molem ad cœlum potuit euadere? Quid ampliùs referent isti, qui clariùs adorant, nisi quòd proximis obstrepunt? Immò

prodendo petitiones suas, quid minùs faciunt, quàm si in publico orent?

XIV. Alia jam consuetudo inualuit, jejunantes habita oratione cum fratribus subtrahunt osculum pacis, quod est signaculum orationis. Quando autem magis conferenda cum fratribus pax est, nisi cùm oratio commendabilior ascendit, vt ipsi de nostra operatione participes, jam audeant de sua pace fratri transigere? Quæ oratio cum diuortio sancti osculi integra? Quem Domino officium facientem impedit pax? Quale sacrificium est, à quo sine pace receditur? Quæcunque operatio sit, non erit potior præcepti obseruatione, quo jubemur jejunia nostra celare. Iam enim de abstinentia osculi agnoscimur jejunantes. Sed & si qua ratio est, ne tamen huic præcepto reus sis, potes domi, si fortè inter quos latere jejunium in totum non datur, differre pacem. Vbicunque autem alibi operationem tuam abscondere potes, debes meminisse præcepti; ita & disciplinæ foris, & consuetudini domi satisfacies. Sic & die Paschæ*, quo communis & quasi publica jejunij religio est, merito deponimus osculum, nihil curantes de occultando quod cum omnibus faciamus. Similiter & stationum diebus, non putant plerique sacrificiorum orationibus interueniendum, quòd statio soluenda sit accepto Corpore Domini. Ergo deuotum Deo obsequium Eucharistia resoluit? An magis Deo obligat? Nonne solemnior erit statio tua, si & ad aram Dei steteris? accepto Corpore Domini, & reseruato, vtrumque saluum est, & participatio sacrificij, & executio officij. Si statio de militari exemplo nomen accipit (nam & militia Dei sumus) vtique nulla lætitia siue tristitia obueniens castris stationes militum rescindit. Nam lætitia libentiùs, tristitia solicitiùs administrabit disciplinam.

De pacis osculo & cõmunione Corporis Domini nõ omittendis à jejunantibus.

* j. Dominicæ Passionis.

DE PATIENTIA.

I. CONFITEOR ad Dominum Deum, satis temerè me, si non etiam impudenter, de patientia componere ausum, cui præstandæ idoneus omnino non sim, vt homo nullius boni; quando oporteat demonstrationem & commendationem alicujus rei adortos, ipsos priùs in administratione hujus rei deprehendi, &. constantiam commonendi propriæ conuersationis authoritate dirigere, ne dicta factis deficientibus erubescant. Atque vtinam erubescere istud remedium ferat, vti pudor non exhibendi quod aliis suggestum imus, exhibendi fiat magisterium; nisi quòd bonorum quorumdam, sicuti & malorum, intolerabilis magnitudo est; vt ad capienda & præstanda ea, sola gratia diuinæ inspirationis operetur. Nam quod maximè bonum, id maximè penes Deum, nec alius id quàm qui possidet, dispensat, vt cuique dignatur. Itaque velut solatium erit disputare super eo quod frui non datur, vice languentium; qui cùm vacent à sanitate, de bonis ejus tacere non norunt. Ita miserrimus ego semper æger caloribus impatientiæ, quam non obtineo patientiæ sanitatem, & suspirem, & inuocem, & perorem necesse est, cùm recordor, & in meæ imbecillitatis contemplatione digero bonam fidei valetudinem, & Dominicæ disciplinæ sanitatem non facilè cuiquam, nisi patientia adsideat, prouenire. Ita proposita Dei rebus est, vt nullum præceptum obire quis, nullum opus Domino complacitum perpetrare extraneus à patientia possit. Bonum ejus, etiam qui cæci viuunt, summæ virtutis appellatione honorant. Philosophi quidem, qui alicujus sapientiæ animalia deputantur, tantum illi subsignant, vt cùm inter sese

Quanti fecêre patiētiam Philosophi.

variis sectarum libidinibus & sententiarum æmulationibus discordent, solius tamen patientiæ in commune memores, huic vni studiorum suorum commiserint pacem, in eam conspirant, in eam fœderantur, illam affectatione virtutis vnanimiter student, omnem sapientiæ ostentationem de patientia præferunt. Grande testimonium ejus est, cùm etiam vanas seculi disciplinas, ad laudem & gloriam promouet. Aut nunquid potiùs injuria cùm diuina res in secularibus artibus volutatur? Sed viderint illi, quos mox sapientiæ suæ cum seculo destructæ ac dedecoratæ pudebit.

II. Nobis exercendæ patientiæ authoritatem non affectatio humana caninæ æquanimitatis stupore formata, sed viuæ ac cœlestis disciplinæ diuina dispositio delegat, Deum ipsum ostendens patientiæ exemplum: jam primùm qui rorem lucis hujus super justos & injustos æqualiter spargit, qui temporum officia, elementorum seruitia totius geniture tributa dignis simul & indignis patitur simul occurrere. Sustinens ingratissimas Nationes; ludibria artium, & opera manuum suarum adorantes, nomen cum familia ipsius persequentes, luxuriam, auaritiam, iniquitatem, malignitatem quotidie inolescentem, vt sua sibi patientia detrahat: plures enim Dominum idcircò non credunt, quia seculo iratum tandiu nesciunt. Et hæc quidem diuinæ patientiæ species, quasi de longinquo, fors vt de supernis æstimetur.

Deus ipse patientiæ est exemplum.

Mat. 5. 45.

III. Quid illa autem quæ inter homines palam in terris quodammodo manu apprehensa est? Nasci se Deus in vtero patitur matris, & expectat, & natus adolescere sustinet, & adultus non gestit agnosci, sed contumeliosus insuper sibi est & à seruo suo tingitur, & tentatoris congressus solis verbis repellit. Cùm de Domino fit magister, docens hominem euadere ad salutem, scilicet veniam offensæ patientiæ eruditus, non contendit, non reclamauit, nec quisquam in plateis vocem ejus audiuit, arundinem quassatam non fregit, linum fumigans non restinxit. Nec enim mentitus fuerat Propheta, immò ipsius Dei contestatio, spiritum suum in Filio cum tota patientia collocantis. Nullum volentem sibi adhærere non suscepit, nullius mensam tectúmue despexit. Aquam ipse lauandis discipulorum pedibus ministrauit. Non peccatores, non Publicanos aspernatus est. Non illi saltem ciuitati quæ

Quanta Christi patientia fuerit.

Isa. 42. 2.

Ioan. 13. 5.

Mat. 9. 10

Luc. 9. 53

eum recipere noluerat iratus est, cùm etiam discipuli tam contumelioso oppido cœlestes ignes repræsentari voluissent. Ingratos curauit, insidiatoribus cessit. Parum hoc, si non etiam proditorem suum secum habuit, nec constanter denotauit: cùm verò traditur, cùm adducitur vt pecus ad victimam; sic enim non magis aperit os, quàm agnus sub tondentis potestate. Ille, cui legiones Angelorum, si voluisset, vno dicto de cœlis affuissent, ne vnius quidem discentis gladium vltorem probauit; patientia Domini in Malcho vulnerata est. Itaque & gladij opera maledixit in posterum, & sanitatis restitutione ei, quem non ipse vexauerat, satisfecit per patientiam, misericordiæ matrem. Taceo quod figitur, in hoc enim venerat. Nunquid tamen subeundæ morti etiam contumelijs opus fuerat? Sed saginari voluptate patientiæ discessurus volebat. Despuitur, verberatur, deridetur, fœdis vestitur, fœdioribus coronatur. Mira æquanimitatis fides: qui in hominis figura proposuerat latere, nihil de impatientia hominis imitatus est. Hinc vel maximè Pharisæi Dominum agnoscere debuistis: patientiam hujusmodi nemo hominum perpetraret. Talia tantáque documenta, quorum magnitudo penes Nationes quidem detrectatio fidei est, penes nos verò ratio & structio, satis apertè non sermonibus modò in præcipiendo, sed etiam passionibus in sustinendo probant his quibus credere datum est, patientiam Dei esse naturam effectam*, & præstantiam ingenitæ cujusdam proprietatis.

Luc. 17. 14. Mat. 26. 21. Isa. 53. 7. Mat. 26. 51. Ioan. 18. 10. Luc. 22. 51. Mat. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19.

* aliàs, effectum & præstantiã, &c.

IV. Igitur si probos quosque seruos & bonæ mentis, pro ingenio Dominico conuersari videmus (si quidem artificium promerendi obsequium est: obsequij verò disciplina, morigera subjectio est) quantò magis nos secundum Dominum moratos inueniri oportet? seruos scilicet Dei viui, cujus judicium in suos non in compede aut pileo vertitur, sed in æternitate aut pœnæ, aut salutis. Cui seueritati declinandæ, vel liberalitati inuitandæ, tanta obsequij diligentia opus est, quanta sunt ipsa quæ aut seueritas comminatur, aut liberalitas pollicetur. Et tamen nos non de hominibus modò seruitute subnixis, vel quolibet alio jure debitoribus obsequij, verùm etiam de pecudibus, etiam de bestiis obedientiam exprimimus, intelligentes vsibus nostris à Domino prouisas tradítasque.

Obedientia quam alij nobis exhibent, quamque nos Deo debemus, patientiam te quirit.

Gen. 1. 28. & 9. 2.

que. Meliora ergo nobis erunt in obsequij disciplina, quæ nobis Deus subdit? Agnoscunt denique quæ obediunt; nos cui soli subditi sumus, Domino scilicet, auscultare dubitamus? At quàm injustum est, quàm etiam ingratum, quod per alterius indulgentiam de aliis consequaris, idem illi, per quem consequeris, de temetipso non rependere? Nec pluribus de obsequij exhibitione debita à nobis Domino Deo. Satis enim agnitio Dei quid sibi incumbat, intelligit. Ne tamen vt extraneum de obsequio videamur interjecisse, ipsum quoque obsequium de patientia trahitur: nunquam impatiens obsequitur, aut patiens quis obluctatur. Quam ergo dominus omnium bonorum & demonstrator & acceptator Deus in semetipso circuntulit, quis de bono ejus latè retractet?* Cui item dubium sit omne bonum, quia ad Deum pertineat, pertinentibus ad Deum tota mente sectandum? Per quæ in expedito & quasi in præscriptionis compendio de patientia constitutum est.

Id est, tractet, disserat.*

V. Veruntamen procedere disputationem de necessariis fidei non est otiosum, quia nec infructuosum. Loquacitas in ædificatione nulla turpis, si quando turpis. Itaque si de aliquo bono sermo est, res postulat contrarium quoque boni recensere. Quid enim sectandum sit, magis illuminabis, si quod vitandum sit proinde digesseris. Consideremus igitur de impatientia, an sicut patientia in Deo, ita aduersaria ejus in aduersario nostro nata atque comperta sit, vt ex isto appareat, quàm principaliter fidei aduersetur. Nam quod ab æmulo Dei conceptum est, vtique non est amicum Dei rebus. Eadem discordia est rerum quæ & authorum. Porrò cùm Deus optimus, diabolus è contrario pessimus, ipsa sui diuersitate testantur neutrum alteri facere, vt nobis non magis à malo aliquid boni, quàm à bono aliquid mali editum videri possit. Igitur natales impatientiæ in ipso diabolo deprehendo, jam tunc cùm Dominum Deum vniuersa opera quæ fecisset, imagini suæ, id est homini subjecisse impatienter tulit. Nec enim doluisset, si sustinuisset: nec inuidisset homini, si non doluisset. Adeò decepit eum quia inuiderat: inuiderat autem, quia doluerat: doluerat, quia patienter vtique non tulerat. Quid primùm fuerit ille Angelus perditionis, malus an impatiens, contemno quærere: palam cùm

Impatientia, qualc & quãtum vitium sit.

Gen. 1. 26.

ſit, impatientiam cum malitia, aut malitiam ab impatientia auſpicatam, deinde inter ſe conſpiraſſe, & indiuiduas in vno patris ſinu adoleuiſſe. At enim quam primus ſenſerat, per quam delinquere intrauerat, de ſuo experimento quid ad peccandum adjutaret inſtructus, eandem impingendo in crimen homini aduocauit: conuenta ſtatim illi mulier, non temerè dixerim, per colloquium ipſum ejus afflata eſt ſpiritu impatientiâ infecto; vſque adeò nunquam omninò peccaſſet, ſi diuino interdicto patientiam perſeueraſſet. Quid quod non ſuſtinuit ſola conuenta: ſed apud Adam nondum maritum, nondum aures ſibi debentem, impatiens etiam tacendi eſt, ac traducem illum ejus quod à Malo hauſerat, facit? Perit igitur & alius homo per impatientiam alterius, perit mox & ipſe per impatientiam ſuam vtrubique commiſſam, & circa Dei præmonitionem, & circa diaboli circunſcriptionem: illam ſeruare, hanc refutare non ſuſtinens. Hinc prima judicij, vnde delicti origo: hinc Deus iraſci exorſus, vnde offendere homo inductus; inde in Deo prima patientia, vnde indignatio prima: qui tunc maledictione ſola contentus, ab animaduerſionis impetu in diabolo temperauit. Aut quod crimen ante iſtud impatientiæ admiſſum homini imputatur? Innocens erat, & Deo de proximo amicus, & paradiſi colonus: At vbi ſemel ſuccidit impatientiæ, deſiuit Deo ſapere, deſiuit cœleſtia ſuſtinere poſſe. Exinde homo terræ datus, & ab oculis Dei ejectus, facilè vſurpari ab impatientia cœpit in omne quod Deum offenderet. Nam ſtatim illa ſemine diaboli concepta, malitiæ fœcunditate iram filium procreauit, editum ſuis artibus erudiit. Quod enim ipſum Adam & Euam morti immerſerat, docuit & filium ab homicidio incipere. Fruſtra iſtud impatientiæ adſcripſerim ſi Caïn ille primus homicida, & primus fratricida, oblationes ſuas à Domino recuſatas æquanimiter nec impatienter tulit; ſi iratus fratri ſuo non eſt, ſi neminem denique interemit. Cùm ergo nec occidere potuerit niſi iratus, nec iraſci niſi impatiens, demonſtrat quod per iram geſſit, ad eam referendum, à qua ira ſuggeſta eſt. Et hæc quidem impatientiæ tunc infantis quodammodo incunabula.

[Marginal note: Primis parentibus impatiẽtia cauſa fuit peccati. Gen. 3. 1.]

[Marginal note: Caïn ad fratricidiũ impulit impatientia. Gen. 4. 5.]

Cæterùm quanta mox incrementa? Nec mirum. Nam ſi prima deliquit, conſequens eſt vt quia prima, idcircò &

sola sit matrix in omne delictum, defundens de suo fonte varias criminum venas. De homicidio quidem dictum est: sed ira editum à primordio, etiam quascunque postea causas sibi inuenit, ad impatientiam vt ad originem sui confert: siue enim quis inimicitiis, siue prædæ gratiâ id scelus conficit, priùs est vt aut odij aut auaritiæ fiat impatiens. Quicquid compellit, sine impatientia sui non est vt perfici possit. Quis adulterium sine libidinis impatientia subiit? Quod etsi pretio in fœminis cogitur venditio illa pudicitiæ, vtique impatientia contemnendi lucri ordinatur. Hæc vt principalia penes Dominum delicta. Nam vt compendio dictum sit, omne peccatum impatientiæ ascribendum. Malum impatientia est boni. Nemo impudicus non impatiens pudicitiæ, & improbus probitatis, & impius pietatis, & inquietus quietis. Vt malus vnusquisque fiat, bonus perseuerare non poterit. Talis igitur excetra delictorum, cur non Dominum offendat improbatorem malorum? an non ipsum quoque Israël per impatientiam semper in Deum deliquisse manifestum est? Exinde cùm oblitus brachij cœlestis quo Ægyptiis afflictationibus fuerat extractus, de Aaron sibi deos duces postulat; quùm in idolum auri sui collationes defundit: tam necessarias enim Moysis cum Domino congredientis impatienter exceperat moras. Post mannæ escatilem pluuiam, post petræ aquatilem sequelam desperant de Domino, tridui sitim non sustinendo: nam hæc quoque illis impatientia à Domino exprobratur. Ac ne singula peruagemur, nunquam non per impatientiam deliquendo perierunt. Quomodo autem manus Prophetis intulerunt, nisi per impatientiam audiendi? Domino autem ipsi, per impatientiam etiam videndi. Quòd si patientiam inissent, liberarentur.

Impatiẽtia omnium vitiorum ac criminum orig.

Exod. 16. & &c.

Exod. 32.

Exod. 17.

Act. 7. 52.

Sap. 2. 15.

VI. Ipsa adeò est, quæ fidem & subsequitur, & antecedit. Denique Abraham Deo credidit[a], & justitiæ deputatus ab illo est; sed fidem ejus patientia probauit,[b] quùm filium immolare jussus est, ad fidei non tentationem dixerim, sed typicam contestationem. Cæterùm Deus quem justitiæ deputasset, sciebat. Tam graue præceptum quod nec Domino perfici placebat, patienter & audiuit, & si Deus voluisset, implesset. Meritò ergo benedictus, quia & fidelis; meritò fidelis, quia & patiens. Ita fides patientiâ illuminata, quùm in Nationes

Fidẽ Abrahæ patientiâ probauit Deus.

[a] Gen. 15. 6.
[b] Gen. 22.

Gal. 3.

seminaretur per semen Abrahæ, quod est Christus, & gratiam legi superduceret, ampliandæ adimplendæque legi adjutricem suam patientiam præfecit, quòd ea sola ad justitiæ

Exod.21.24 doctrinam retro defuisset. Nam olim & oculum pro oculo, & dentem pro dente repetebant, & malum malo fœnerabant: nondum enim patientia in terris, quia nec fides: scilicet interim impatientia occasionibus legis fruebatur. Facile erat absente Domino patientiæ & magistro, qui postquam superuenit, & gratiam fidei patientiâ composuit, jam nec verbo

Mat.5.22 quidem lacessere, nec *fatue* quidem dicere sine judicij periculo licet. Prohibita ira, restricti animi, compressa petulantia manus, exemptum linguæ venenum; plus lex quàm amisit,

Mat.5.44 inuenit: dicente Christo: *Diligite inimicos vestros; & maledicen-*

Luc.6.27.35. *tibus benedicite*; Et, *Orate pro persecutoribus vestris; vt filij sitis Patris vestri cœlestis*. Vides quem nobis Patrem patientia acquirat? Hoc principali præcepto vniuersa patientiæ disciplina succincta est, quando ne dignè quidem malefacere concessum est.

Patientiæ exercitatio sunt omnia præcepta Euāgelica. Contemptus diuitiarum.

VII. Iam verò percurrentibus nobis causas impatientiæ, cætera quoque præcepta suis locis respondebunt. Si detrimento rei familiaris animus concitatur, omni penè in loco de contemnendo seculo scripturis Dominicis commonetur: nec major ad pecuniæ contemptum exhortatio subjacet, quàm quòd ipse Dominus in nullis diuitiis inuenitur: semper [a] pau-

a Mat.5.3. Luc.6.20. peres justificat, [b] diuites prædamnat. Ita detrimentum pa-

b Mat.19.23 Luc.6.24. & 18.25. tientiæ, fastidium opulentiæ præministrauit, demonstrans per abjectionem diuitiarum, læsuras quoque earum computandas non esse. Quod ergo nobis appetere minimè opus est, quia nec Dominus appetiuit, detruncatum vel etiam adem-

1.Tim.6.10 ptum non ægrè sustinere debemus. Cupiditatem omnium malorum radicem Spiritus Domini per Apostolum pronuntiauit. Eam non in concupiscentia alieni tantùm constitutam interpretemur: nam & quod nostrum videtur, alienum est; nihil enim nostrum, quoniam Dei omnia, cujus ipsi quoque nos. Itaque si damno affecti impatienter senserimus, de non nostro amissum dolentes, adfines cupiditatis deprehendemur. Alienum quærimus, quum alienum amissum ægrè sustinemus. Qui damni impatientiâ concitatur, terrena cœlestibus anteponendo, de proximo in Deum peccat. Spiritum

enim quem à Domino sumpsit, secularis rei gratiâ concutit. Libentes igitur terrena amittamus, cœlestia tueamur. Totum licet seculum pereat, dum patientiam lucrifaciam. Iam qui minutum sibi aliquid aut furto, aut vi, aut etiam ignauià, non constanter sustinere constituit, nescio an facilè, vel ex animo ipse rei suæ manum inferre posset in causa eleemosynæ. Quis enim ab alio secari omninò non sustinens, ipse ferrum corpori suo ducit? Patientia in detrimentis exercitatio est largiendi & communicandi. Non piget donare eum, qui non timet perdere: alioquin quomodò duas habens tunicas, alteram earum nudo dabit, nisi idem sit, qui auferenti tunicam etiam pallium offerre possit? Quomodò amicos de mammona fabricabimus nobis, si eum in tantùm amauerimus, vt amissum non sufferamus? Peribimus cum perdito. Quid hîc inuenimus, vbi habemus amittere? Gentilium est omnibus detrimentis impatientiam adhibere qui rem pecuniariam fortasse animæ anteponant. Nam & faciunt cùm lucri cupiditatibus quæstuosa pericula mercimoniorum in mari exercent; cùm pecuniæ causâ etiam in foro nihil damnationi timendum aggredi dubitant: cùm denique ludo & castris sese locant, cùm per viam in mores bestiarum latrocinantur. Nos verò secundùm diuersitatem, qua cum illis sumus, non animam pro pecunia, sed pecuniam pro anima deponere conuenit, seu sponte in largiendo, seu patienter in amittendo.

Damna rerum æquo animo ferenda.

Luc. 3. 11.
Matt 5.40
Luc. 16. 9.

VIII. Ipsam animam, ipsumque corpus in seculo isto expositum omnibus ad injuriam gerimus, ejusque injuriæ patientiam subimus: minorum deliberatione lædemur? Absit à seruo Christi tale inquinamentum, vt patientia majoribus tentationibus præparata in friuolis excidat. Si manu quis tentauerit prouocare, præsto est Dominica monela:* *Verberanti te*, inquit, *in faciem, etiam alteram genam obuerte* Fatigetur improbitas patientiâ tuâ. Quiuis ictus ille sit dolore & contumelia constrictus, grauius à Domino vapulat: plus improbum illum cædis sustinendo. Ab eo enim vapulabit cujus gratiâ sustines. Si linguæ amaritudo maledicto siue conuicio eruperit, respice dictum: *Quum vos maledixerint, gaudete.* Dominus ipse maledictus in lege est, & tamen solus est benedictus. Igitur Dominum serui consequamur, & maledicamur patienter, vt benedicti esse possimus. Si parum æqua-

Injuriæ tā animæ quā corporis tolerandæ.

Id est, * monitio.
Mat. 5. 39.
Luc. 6. 29.
Mat 5. 11.
Deut. 21.23

nimiter audiam dictum aliquod in me proteruum aut nequam, reddam & ipse amaritudinis vicem necesse est, aut cruciabor impatientiâ mutâ. Quum ergo percussero maledicto, quomodò secutus inueniar doctrinam Domini: qua traditum est, non vasculorum inquinamentis, sed eorum quæ ex ore promuntur, hominem communicari? Item: Manere nos omnis vani & superuacui dicti reatum? Sequitur ergo, vt à quo nos Dominus arcet, idem ab alio æquanimiter pati admoneat. Hìc jam de patientiæ voluptate: nam omnis injuria, seu linguâ seu manu incussa, cùm patientiam offenderit, eodem exitu dispungetur, quo telum aliquod in petra constantissimæ duritiæ libratum & obtusum. Concidet enim ibidem irritâ operâ & infructuosâ, & nonnunquam repercussum in eum qui emisit reciproco impetu sæuiet. Nempe idcircò quis te lædit, vt doleas; quia fructus lædentis in dolore læsi est. Ergo cùm fructum ejus euerteris non dolendo, ipse doleat necesse est amissione fructus sui: tunc tu non modò illæsus abis, quod etiam solum tibi sufficit, sed insuper aduersarij tui & frustratione oblectatus, & dolore defensus. Hæc est patientiæ vtilitas & voluptas.

Marc. 7. 8. *Mat. 12. 36.*

IX. Ne illa quidem impatientiæ species excusatur in amissione nostrorum, vbi aliqua doloris patrocinatur affectio. Proponendus est enim respectus denuntiationis Apostoli, qui ait: *Ne contristemini dormitione cujusquam, sicut Nationes quæ spe carent.* Et meritò. Credentes enim resurrectionem Christi, in nostram quoque credimus, propter quos ille & obiit & resurrexit. Ergo cùm constet de resurrectione mortuorum, vacat dolor mortis, vacat & impatientia doloris. Cur enim doleas, si periisse non credis? Cur impatienter feras subductum interim, quem credis reuersurum? Profectio est quam putas mortem. Non est lugendus qui antecedit, sed planè desiderandus. Id quoque desiderium patientiâ temperandum. Cur enim immoderatè feras abiisse, quem mox subsequeris? Cæterùm impatientia in hujusmodi & spei nostræ malè ominatur & fidem præuaricatur. Et Christum lædimus cùm euocatos quosque ab illo, quasi miserandos, non æquanimiter accipimus. *Cupio*, inquit Apostolus, *recipi jam & esse cum Christo*: quantò melius ostendit votum Christianorum? Ergo votum si alios consequutos impatienter dolemus, ipsi consequi nolumus.

In amissione nostrorum patiĕtiâ dolor temperatur

1 Thess. 4. 12.

Phil. 1. 23.

X. Est & alius summus impatientiæ stimulus, vltionis libido, negotium curans aut gloriæ aut malitiæ. Sed & gloria vtique vana, & malitia nunquam non Domino odiosa, hoc quidem loco maximè, cùm alterius malitia prouocata superiorem se in exequenda vltione constituit, & remunerans nequam duplicat quod semel factum est. Vltio penes errorem, solatium videtur doloris; penes veritatem, certamen redarguitur malignitatis. Quid enim refert inter prouocantem & prouocatum, nisi quòd ille prior in maleficio deprehenditur, at ille posterior? Tamen vterque læsi hominis Domino reus est; qui omne nequam & prohibet, & damnat. Nulla in maleficio ordinis ratio est: nec locus secernit, quod similitudo conjungit. Absolutè itaque præcipitur malum malo non rependendum. Par factum, par habet meritum. Quomodò id obseruabimus, si fastiditi antè in fastidio vltionis non erimus? Quem autem honorem litabimus Domino Deo, si nobis arbitrium defensionis arrogauerimus? Nos putres, vasa fictilia, seruulis nostris assumentibus sibi de conseruis vltionem, grauiter offendimur; eósque qui nobis patientiam obtulerint suam, vt memores humilitatis, seruitutis, jus Dominici honoris diligentes, non probamus modò; sed ampliorem quàm ipsi sibi præsumpsissent, satisfactionem facimus: id nobis in Domino tam justo ad æstimandum, tam potenti ad perficiendum periclitatur? Quid ergo credimus Iudicem illum, si non & vltorem? Hoc se nobis repromittit dicens: *Vindictam mihi, & ego vindicabo*, id est, patientiam mihi, & ego patientiam remunerabo. Cùm enim dicit: *Nolite judicare, ne judicemini*, nonne patientiam flagitat? Quis enim non judicabit alium, nisi qui patiens erit non defendi? Quis idcirco judicat, vt ignoscat? Ac si ignoscet, tamen judicantis impatientiam cauit, & honorem vnici judicis, id est, Dei abstulit. Quantos verò casus hujusmodi impatientia incursare consueuit? Quoties pœnituit defensionem? Quoties instantia ejus deterior facta est causis suis? Quoniam nihil impatientiâ susceptum, sine impetu transigi nouit: nihil impetu actum, aut non offendit, aut corruit, aut præceps abiit. Iam si leuiùs defendaris, insanies; si vberiùs, oneraberis. Quid mihi cum vltione, cujus modum regere non possum per impatientiam doloris? Quòd si patientiæ incubabo, non dolebo; si

Vltionis libido patiẽtiâ excluditur.

Rom 12.17.

Deut 32.35

Mat. 7.1.
Luc. 6.37.

non dolebo, vlcisci non desiderabo.

Mali spiritus incitamenta patientiâ eluduntur.

XI. Post has principales impatientiæ materias, vt potuimus regestas, quid inter cæteras euagemur, quæ domi, quæ foris? Lata atque diffusa est operatio Mali. Multiplicia spiritus incitamenta jaculantis, & modò paruula, modò maxima: sed paruula de sua mediocritate contemnas; maximis pro sua exuperantia cedas. Vbi minor injuria, ibi nulla necessitas impatientiæ: At vbi major injuria, ibi necessarior injuriæ medela patientia. Certemus igitur quæ à Malo infliguntur sustinere, vt hostis studium æmulatio nostræ æquanimitatis eludat. Si verò quædam ipsi in nos aut imprudentiâ aut sponte etiam superducimus, æquè patienter obeamus, quæ nobis imputamus. Quòd si à Domino nonnulla credimus incuti, cui magis patientiam quàm Domino præbeamus? Quin insuper gratulari & gaudere nos docet dignatione diuinæ castigationis: *Ego*, inquit, *quos diligo, castigo.* O seruum illum beatum cujus emendationi Dominus instat! cui dignatur irasci! quem admonendi dissimulatione non decipit! vndique igitur adstricti sumus officio patientiæ administrandæ. Quaqua ex parte, aut erroribus nostris, aut Mali insidiis, aut admonitionibus Domini interuenit vsus ejus officij, magna merces, felicitas scilicet. Quos enim felices Dominus nisi patientes nuncupauit, dicendo: *Beati pauperes spiritu, illorum est enim regnum cœlorum.* Nullus profectò spiritu pauper, nisi humilis: Quis enim humilis nisi patiens? Quia nemo subjicere sese potest sine prima patientia subjectionis ipsius. *Beati*, inquit, *flentes atque lugentes.* Quis talia sine patientia tolerat? Itaque talibus & aduocatio & risus promittitur. *Beati mites:* hoc quidem vocabulo impatientes non licet omninò censeri. Item quum pacificos eodem titulo felicitatis notat, & filios Dei nuncupat, nunquid impatientes pacis affines? Stultus hoc senserit. Quum verò, *Gaudete & exultate*, dicit, *quoties vos maledicent & persequentur, merces enim vestra plurima in cœlo:* id vtique non exultationis impatientiæ pollicetur; quia nemo in aduersis exultabit nisi antè ea contempserit; nemo contemnet nisi patientiam gesserit.

Errores nostri patienter ferendi.

Correptio Domini patienter acceptanda.

Apoc. 3. 19.

Patientiæ merces est felicitas æterna.

Mat. 5. 3.

Ibid. 5.

Ibid. 12.

Patientia pacis conciliatrix.

Mat. 18, 21

XII. Quod ad pacis gratissimæ Deo attinet disciplinam, quis omninò impatientiæ natus, vel semel ignoscet fratri suo, ne dicam septies, sed & septuagies septies? Quis judicium

cum

cum aduersario suo dirigens, negotium conuenientiâ soluet, *Mat 5. 25.*
nisi priùs animi dolorem, duritiam, amaritudinem, venena scilicet impatientiæ, amputarit? Quomodo remittes & remittetur tibi; si tenax injuriæ per absentiam patientiæ fueris? *Luc. 6. 37.*
Nemo conuulsus animum in fratrem suum munus apud altare perficiet, nisi priùs reconciliando fratri reuersus ad patientiam fuerit. Sol super iram nostram si occiderit, periclitamur. Non licet nobis vna die sine patientia manere. Atenim cùm omnem speciem salutaris disciplinæ gubernet, quid mirum quòd etiam pœnitentiæ ministrat, solitæ lapsis subuenire? cum disjuncto matrimonio, ex ea tamen causa qua licet seu viro seu fœminæ ad viduitatis perseuerantiam sustineri; hæc expectat, hæc exoptat, hæc exorat, pœnitentiam quandóque inituris, salutem? Quantum boni vtrique confert? alterum non adulterum facit, alterum emendat. Sic & illis Dominicarum similitudinum exemplis de patientia sanctis adest. Erroneam ouem patientia pastoris requirit & inuenit: nam impatientia vnam facilè contemneret; sed laborem inquisitionis patientia suscipit, & humeris insuper aduehit bajulus patiens peccatricem derelictam. Illum quoque prodigum filium patientia patris & recipit & vestit, & pascit, & apud impatientiam irati fratris excusat. Saluus est igitur qui perierat, quia pœnitentiam iniit; pœnitentia non perit, quia patientiam inuenit. Nam dilectio summum fidei sacramentum, Christiani nominis thesaurus, quam Apostolus totis viribus sancti Spiritus commendat, cujus nisi patientiæ disciplinis eruditur? *Dilectio*, inquit, *magnanimis est*: ita patientiam sumit. *Benefica est:* malum patientia non facit. *Non æmulatur:* id quidem patientiæ proprium est: *Nec proteruum sapit:* modestiam de patientia traxit. *Non inflatur*, *non proterit*: non enim ad patientiam pertinet. *Nec sua requirit*: si offert sua, dum alteri prosit. *Nec incitatur.* Cæterùm quid impatientiæ reliquisset? *Ideò*, inquit, *dilectio omnia sustinet*, *omnia tolerat*: vtique quia patiens. Meritò ergo nunquam excidet, nam cætera euacuabuntur, consummabuntur. Exhauriuntur linguæ, scientiæ, prophetiæ, permanent fides, spes, dilectio. Fides, quam Christi patientia induxit; spes, quam hominis patientia expectat; dilectio, quam Deo magistro patientia comitatur.

Mat 5. 23. *Eph. 4. 26.* Patientia pœnitentię ministra. *Luc. 15. 4.* *Ibid. 11. &c* Patientiâ dilectio, fides & spes formantur. *1. Cor. 13. 4.* *Ibid 7.*

Patientiâ non in animo tantùm constituta, sed & in corpore.

XIII. Vsque huc de patientia tandem simplici & vniformi, & tantùm in animo constituta; cùm eandem etiam in corpore, demerendo Domino, multipliciter adlaborem, vt pote quæ ab ipso Domino in corporis quoque virtute edita est, si quidem rector animus facilè communicat spiritus inuecta cum habitaculo suo. Quæ igitur negotiatio patientiæ in corpore? In primis adflictatio carnis, hostia Domino placatoria per humiliationis sacrificium, quum sordes cum angustia victus Domino libat, contenta simplici pabulo puróque aquæ potu, quum jejunia conjungit, quum cineri & sacco inolescit. Hæc patientia corporis precationes commendat, deprecationes affirmat: Hæc aures Christi Dei aperit, seueritatem dispergit, clementiam elicit. Sic ille Rex Babylonius offenso Domino cùm squalore & pædore septenni ab humana forma exulasset, immò latâ patientiâ corporis sui, & regnum recuperauit, & quod optabilius est homini, satis Deo fecit. Iam si altiores & feliciores gradus corporalis patientiæ digeramus, eadem sanctitati quoque procurat continentiam carnis, hæc & viduam tenet, & virginem adsignat, & voluntarium spadonem ad regna cœli leuat; quod de virtute animi venit, in carne perficitur carnis patientiâ. In persecutionibus denique præliatur. Si fuga vrgeat, aduersus incommoda fugæ caro militat. Si & carcer premat, caro in vinculis, caro in ligno, caro in solo, & in illa paupertate lucis, & in illa penuria mundi. Quum verò producitur ad experimentum felicitatis, ad occasionem secundæ intinctionis, ad ipsum diuinæ sedis ascensum, nulla plùs illic, quàm patientia corporis. Si spiritus promptus, sed caro sine patientia infirma, vbi salus spiritus & carnis ipsius. At cùm hoc Dominus de carne dicit infirmam pronuntians, quid ei firmandæ opus sit, ostendit, patientia scilicet aduersus omnem subuertendæ fidei vel puniendæ paraturam, vt verbera, vt ignem, vt crucem, bestias, gladium constantissimè toleret, quæ Prophetæ, quæ Apostoli sustinendo vicerunt.

Dan. 4. 30. — Mat. 19. 12. — Mat. 26. 41.

Illustres patientiâ viri.

XIV. His patientiæ viribus secatur Esaïas & de Domino non tacet: lapidatur Stephanus & veniam hostibus suis postulat. O felicissimum illum quoque, qui omnem patientiæ speciem aduersus omnem diaboli vim expunxit! quem non abacti greges, non illæ in pecore diuitiæ, non filij vno ruinæ

Act. 7. 57. — Iob. 1.

impetu adempti, non ipsius denique corporis in vlcere cruciatus à patientia & fide Domino debita exclusit, quem diabolus totis viribus frustrà cecîdit. Neque enim à respectu Dei tot doloribus auocatus ille est, sed constitit nobis in exemplum & testimonium, tam spiritu quàm carne, tam animo quàm corpore patientiæ perpetrandæ: vt neque damnis secularium, nec amissionibus carissimorum, nec corporis quidem conflictationibus succidamus. Quale in illo viro feretrum Deus diabolo extruxit. Quale vexillum de inimico gloriæ suæ extulit, cùm ille homo ad omnem aceruum nuntiorum nihil ex ore promeret, nisi Deo gratias, cùm vxorem jam malis delassatam & praua remedia suadentem execraretur? Quid? ridebat Deus: quid? dissecabatur Malus, quum Iob immundam vlceris sui redundantiam magnâ æquanimitate destringeret, cùm erumpentes bestiolas inde in eosdem specus & pastus reformosæ carnis ludendo reuocaret. Itaque operarius ille victoriæ Dei, retusis omnibus jaculis tentationum lorica clypeóque patientiæ & integritatem mox corporis à Deo recuperauit, & quæ amiserat duplicata possedit, & si filios quoque restitui voluisset, pater iterum vocaretur. Sed maluit in illo die reddi sibi; tantum gaudij, securus de Domino distulit: sustinuit tam voluntariam orbitatem, ne sine aliqua patientia viueret.

Iob. 1. 9.

Iob 42. 10. &c.

XV. Adeò satis idoneus patientiæ sequester Deus. Si injuriam deposueris penes eum, vltor est: si damnum, restitutor est: si dolorem, medicus est: si mortem, resuscitator est. Quantum patientiæ licet, vt Deum habeat debitorem? Nec immeritò: Omnia enim placita ejus tuetur, omnibus mandatis ejus interuenit: fidem munit; pacem gubernat; dilectionem adjuuat; humilitatem instruit; pœnitentiam expectat; exomologesin adsignat; carnem regit; spiritum seruat; linguam frænat; manum continet; tentationes inculcat; scandala pellit; martyria consummat; pauperem consolatur; diuitem temperat; infirmum non extendit; valentem non consumit; fidelem delectat; gentilem inuitat; seruum Domino, Dominum Deo commendat; fœminam exornat; virum approbat; amatur in puero; laudatur in juuene; suspicitur in sene; in omni sexu, in omni ætate formosa est.

Patientia Deum habet debitorem.

Omnibus mandatis Dei interuenit.

In omni statu, ætate & sexu formosa.

Age jam si & effigiem habitúmque ejus comprehenda-

Patientiæ effigies.

mus. Vultus illi tranquillus & placidus; frons pura, nullâ mœroris, aut iræ rugositate contracta; remissa æquè in lætum modum supercilia; oculis humilitate, non infelicitate dejectis. Os taciturnitatis honore signatum. Color qualis securis & innoxijs. Motus frequens capitis in diabolum, & minax risus. Cæterùm amictus circum pectora candidus & corpori impressus, vt qui nec inflatur, nec inquinatur. Sedet enim in throno Spiritus ejus mitissimi & mansuetissimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo liuet, sed est teneræ serenitatis, apertus & simplex, quem tertiò vidit Helias. Nam vbi Deus, ibidem & alumna ejus, patientia scilicet. Cùm ergo Spiritus Dei descendit, indiuidua patientia comitatur eum. Si non eam cum spiritu admiserimus, in nobis morabitur semper? Immò nescio an diutiùs perseueret. Sine sua comite ac ministra, omni loco ac tempore angatur necesse est. Quodcunque inimicus ejus inflixerit, solus sustinere non poterit carens instrumento sustinendi.

Laudauit patientiam veram, scilicet, Christianam, nō falsam Ethnicorum.

XVI. Hæc patientiæ ratio, hæc disciplina, hæc opera cælestis & veræ, scilicet Christianæ, non vt illa patientia Gentium terræ, falsa, probrosa. Nam vt in isto quoque Domino diabolus æmularetur, quasi planè ex pari (nisi quod ipsa diuersitas mali & boni æqualiter magnitudinis par est) docuit & suos patientiam propriam; illam dico, quæ maritos dote venales, aut lenocinijs negotiantes vxorum potestatibus subjicit: Quæ aucupandis orbitatibus omnem coacti obsequij laborem mentitis affectionibus tolerat: quæ ventris operarios contumeliosis patronis subjectione libertatis addicit. Talia Nationes patientiæ studia nouerunt, & tanti boni nomen fœdis operationibus occupant, patientes riualium & diuitum & inuitatorum, impatientes solius Dei viuunt. Sed viderit sua & sui Præsidis patientia, quam subter ignis expectat. Cæterùm nos amemus patientiam Dei, patientiam Christi: rependamus illi, quam pro nobis ipse dependit. Offeramus patientiam spiritus, patientiam carnis, qui in resurrectionem carnis & spiritus credimus.

EIVSDEM TERTVLLIANI

AD MARTYRAS.

I. INTER carnis alimenta, benedicti Martyres designati, quæ vobis & domina Mater Ecclesia de vberibus suis, & singuli Fratres de opibus suis propriis in carcerem subministrant, capite aliquid & à nobis, quod faciat ad spiritum quoque educandum. Carnem enim saginari, & spiritum esurire non prodest. Immò si quod infirmum est curatur, æquè quod infirmius est negligi non debet. Nec tantus ego sum, vt vos alloquar: verùntamen & gladiatores perfectissimos non tantùm magistri & præpositi sui, sed etiam idiotæ & superuacuè quique adhortantur de longinquo, vt sæpe de ipso populo dictata suggesta profuerint. In-primis ergo, benedicti, nolite contristare Spiritum sanctum, qui vobiscum introiit carcerem; si enim non vobiscum nunc introisset, nec vos illic hodie fuissetis. Et ideò date operam vt illic vobiscum perseueret, ita vos inde perducat ad Dominum. Domus quidem diaboli est & carcer in qua familiam suam continet. Sed vos ideò in carcerem peruenistis, vt illum etiam in domo sua conculcetis: jam enim foris congressi conculcaueratis. Non ergo dicat: In meo sunt, tentabo illos vilibus odiis, affectiônibus, aut inter se dissensionibus. Fugiat conspectum vestrum, & in ima sua delitescat, contractus & torpens tanquam coluber excantatus aut effumigatus. Nec illi tam bene sit in suo regno, vt vos committat, sed inueniat munitos & concordiâ armatos, quia pax vestra bellum est illi. Quam pacem quidam in Ecclesia non habentes, à Martyribus in carcere exorare consueuerunt. Et ideò eam etiam propterea in vobis habere & fouere, & custodire debetis, vt si fortè & aliis præstare possitis.

Martyres carcere detentos consolatur & ad constantiam ac perseuerantiã hortatur.

Eph. 4. 30.

Mundus est carcer.

II. Cætera æquè animi impedimenta vſque ad limen carceris deduxerint vos, quouſque & parentes veſtri. Exinde ſegregati eſtis à mundo. Si enim recogitemus ipſum magis mundum carcerem eſſe, exiſſe vos è carcere, quàm in carcerem introiſſe intelligemus. Majores tenebras habet mundus, quæ hominum præcordia excœcant. Grauiores catenas induit mundus, quæ ipſas animas hominum conſtringunt. Pejores immunditias expirat mundus, libidines hominum. Plures poſtremò mundus reos continet, ſcilicet, vniuerſum hominum genus; judicia denique non Proconſulis, ſed Dei ſuſtinet. Quo vos, BENEDICTI, de carcere in cuſtodiarium ſi fortè tranſlatos exiſtimetis. Habet tenebras, ſed lumen eſtis ipſi Habet vincula, ſed vos ſoluti Deo eſtis. Triſte ille expirat, ſed vos odor eſtis ſuauitatis. Iudex expectatur, ſed vos eſtis de Iudicibus ipſis judicaturi. Contriſtetur illic, qui fructum ſeculi ſuſpirat. Chriſtianus etiam extra carcerem ſeculo renuntiauit, in carcere autem etiam carceri. Nihil intereſt vbi ſitis in ſeculo, extra ſeculum eſtis. Et ſi aliqua amiſiſtis vitæ gaudia, negotiatio eſt aliquid amittere, vt majora lucreris. Nihil adhuc dico de præmio ad quod Deus Martyres inuitat. Ipſam interim conuerſationem ſeculi & carceris comparemus, ſi non plus in carcere ſpiritus acquirit, quàm caro amittit, immò & quæ juſta ſunt, caro non amittit per curam Eccleſiæ, agapen Fratrum; & inſuper quæ ſemper vtilia fidei, ſpiritus adipiſcitur. Non vides alienos deos, non imaginibus eorum incurris, non ſolemnes Nationum dies ipſa commixtione participas, non nidoribus ſpurcis verberaris, non clamoribus ſpectaculorum atrocitates vel furores vel impudicitias celebrantium cæderis: non in loca libidinum publicarum oculi tui impingunt: vacas à ſcandalis, à tentationibus, à recordationibus malis, jam & à perſecutione. Hoc præſtat carcer Chriſtiano, quod eremus Prophetis. Ipſe Dominus in ſeceſſu frequentiùs agebat [a], vt liberiùs oraret, vt ſeculo cederet. Gloriam denique ſuam [b] diſcipulis in ſolitudine demonſtrauit. Auferamus carceris nomen, ſeceſſum vocemus. Et ſi corpus includitur, & ſi caro detinetur, omnia ſpiritui patent. Vagare ſpiritu, ſpatiare ſpiritu, & non ſtadia opaca aut porticus longas proponens tibi, ſed illam viam quæ ad Deum ducit. Quoties eam ſpiritu deambulaueris, toties

Chriſtian' extra carcerem mũdo renuntiauit.

In carcere plus ſpiritus acquirit quàm caro amittit.

Carcer præſtat Chriſtiano quod eremus Prophetis.

[a] Marc. 1. 12

[b] Mat. 17. 1

in carcere non eris. Nihil crus ſentit in neruo, cùm animus in cœlo eſt. Totum hominem animus circunfert, & quo velit transfert. Vbi autem erit cor tuum, illic erit & theſaurus tuus. Ibi ergo ſit cor noſtrum, vbi volumus habere theſaurum. *Mat. 6. 21.*

III. Sit nunc, BENEDICTI, carcer etiam Chriſtianis moleſtus. Vocati ſumus ad militiam Dei viui, jam tunc, cùm in Sacramenti verba reſpondimus. Nemo miles ad bellum cum deliciis venit, nec de cubiculo ad aciem procedit, ſed de papilionibus expeditis & ſubſtrictis, vbi omnis duritia, & inbonitas, & inſuauitas conſtitit. Etiam in pace, labore & incommodis bellum pati jam ediſcunt; in armis deambulando, campum decurrendo, foſſam moliendo, teſtudinem denſando. Sudore omnia conſtant, ne corpora atque animi expaueſcant: de vmbra ad ſolem, de ſole ad cœlum, de tunica ad loricam, de ſilentio ad clamorem, de quiete ad tumultum. Proinde vos, BENEDICTI, quodcunque hoc durum eſt, ad exercitationem virtutum animi & corporis deputate. Bonum agonem ſubituri eſtis, in quo agonothetes Deus viuus eſt; xyſtarches Spiritus ſanctus; corona æternitatis brauium: Angelicæ ſubſtantiæ politia in cœlis, gloria in ſecula ſeculorum. Itaque epiſtates veſter CHRISTVS IESVS, qui vos ſpiritu vnxit, & ad hoc ſcamma produxit, voluit vos ante diem agonis ad duriorem tractationem à liberiore conditione ſeponere, vt vires corroborarentur in vobis. Nempe enim & athletæ ſegregantur ad ſtrictiorem diſciplinam, vt robori ædificando vacent, continentur à luxuria, à cibis lætioribus, à potu jucundiore: coguntur, cruciantur, fatigantur; quantò plus in exercitationibus laborauerint, tantò plus de victoria ſperant. *Et illi*, inquit Apoſtolus, *vt coronam corruptibilem conſequantur.* Nos æternam conſequuturi, carcerem nobis pro palæſtra interpretemur, vt ad ſtadium tribunalis, bene exercitati incommodis omnibus, producamur; quia virtus duritiâ extruitur, mollitiâ verò deſtruitur.

Ad militiã Chriſti vocatur Chriſtianus.

1. Cor 9. 25.

IV. Scimus ex Dominico præcepto, quòd caro infirma ſit, ſpiritus promptus. Non ergo nobis blandiamur, quia Dominus conſenſit, carnem infirmam eſſe. Propterea enim prædixit ſpiritum promptum eſſe, vt oſtenderet quid cui debeat eſſe ſubjectum; ſcilicet, vt caro ſeruiat ſpiritui, infirmior fortiori,

Mat. 26. 41.

Infirmitas carnis non eſt prætexẽda exemplo multorum Gentilium

tam virorũ quàm fœminarum, qui vanæ gloriæ causâ multa acerba vltrò tulerunt.

vt ab eo etiam ipsa fortitudinem assumat. Colloquatur spiritus cum carne de communi salute, nec jam de incommodis carceris, sed ipso agone & prælio cogitans. Timebit forsitan caro gladium grauem & crucem excelsam, & rabiem bestiarum, & summam ignium pœnam, & omne carnificis ingenium in tormentis: sed spiritus contraponat sibi & carni, acerba licet ista, à multis tamen æquo animo excepta, immò & vltrò appetita, famæ & gloriæ causâ; nec à viris tantùm, sed etiam à fœminis, vt vos quoque, BENEDICTÆ, sexui vestro respondeatis. Longum est si enumerem singulos, qui se gladio confecerint, animo suo ducti. De fœminis ad manum est Lucretia, quæ vim stupri passa, cultrum sibi adegit in conspectu propinquorum, vt gloriam castitati suæ pareret. Mutius dexteram suam in ara cremauit, vt hoc factum ejus fama haberet. Minus fecerunt Philosophi, Heraclitus qui se bubulo stercore oblitum exussit; item Empedocles, qui in ignes Ætnæi montis dissiluit; & Peregrinus, qui non olim se rogo immisit; cùm fœminæ quoque contempserint ignes; Dido, ne post virum dilectissimum nubere cogeretur; Item Asdrubalis vxor, quæ jam ardente Carthagine cùm maritum suum supplicem Scipioni videret, cum filiis suis in incendium patriæ deuolauit. Regulus Dux Romanorum captus à Carthaginiensibus, cùm se vnum pro multis captiuis Carthaginiensibus compensari noluisset, maluit hostibus reddi, & in arcæ genus stipatus, vndique extrinsecus clauis transfixus, tot cruces sensit. Bestias fœmina libens appetiit, & vtique aspides, serpentes tauro vel vrso horridiores, quas Cleopatra immisit sibi, ne in manus inimici perueniret. Sed mortis metus non tantus est, quantus tormentorum. Itaque cessit carnifici meretrix Atheniensis? quæ conscia conjurationis, cùm propterea torqueretur à tyranno, & non prodidit conjuratos, & nouissimè linguam suam comestam in faciem tyranni expuit; vt nihil agere se scirent tormenta, & si vltrà perseuerarent. Nam quę hodie apud Lacedæmonas solemnitas maxima est διαμαστίγωσις, id est flagellatio, non latet. In quo sacro ante aram nobiles quique adolescentes flagellis affliguntur astantibus parentibus & propinquis, & vti perseuerent adhortantibus: ornamentum enim & gloria deputabitur majore quidem titulo, si anima potiùs cesserit plagis quàm corpus. Igitur si tantùm terrenæ

terrenæ gloriæ licet de corporis & animi vigore, vt gladium, ignem, crucem, bestias, tormenta contemnant sub præmio laudis humanæ, possum dicere, modicæ sunt istæ passiones ad consecutionem gloriæ cœlestis & diuinæ mercedis. Si tanti vitrum, quanti margaritum? Quis ergo non libentissimè tantum pro vero habeat erogare, quantum alij pro falso?

V. Omitto nunc gloriæ causam. Eadem omnia sæuitiæ & cruciatus certamina, jam apud homines affectatio quoque & morbus quidam animi conculcauit: Quot otiosos affectatio armorum ad gladium locat? Certè ad feras ipsas affectatione descendunt, & de morsibus & de cicatricibus formosiores sibi videntur. Iam & ad ignes quidam se autorauerunt, vt certum spatium in tunica ardente conficerent. Alij inter venatorum taureas scapulis patientissimis inambulauerunt. Hæc, benedicti, non sine causa Dominus in seculum admisit, sed ad nos & tunc exhortandos, & in illo die confundendos, si reformidauerimus pati pro veritate in salutem, quæ alij affectauerunt pro vanitate in perditionem.

Affectatione Gladiatores omnia sæuitiæ certamina conculcāt.

VI. Sed hæc exempla constantiæ omittamus de affectatione venientis. Conuertamur ad ipsam conditionis humanæ contemplationem, vt & illa nos instruant si qua constanter adeunda sint, quæ & inuitis euenire consueuerunt? Quoties enim incendia viuos cremauerunt? Quoties feræ & in siluis suis, & in mediis ciuitatibus elapsæ caueis, homines deuorauerunt? Quot à latronibus ferro, ab hostibus etiam cruce extincti sunt, torti priùs, immò & omni contumelia expuncti? Nemo non etiam hominis causâ pati potest, quod in causa Dei pati dubitat. Ad hoc quidem vel præsentia nobis tempora documenta sint, quantæ qualésque personæ inopinatos natalibus, & dignitatibus, & corporibus, & ætatibus suis exitus referunt, hominis causâ: aut ab ipso, si contra eum fecerint, aut ab aduersariis ejus, si pro eo steterint.

Etiam inuitis nobis pericula multa sunt adeunda.

S. CÆCILII CYPRIANI

EPISCOPI CARTHAGINIENSIS

ET MARTYRIS

EPISTOLAE SELECTAE.

Lib. 1. cap. 1. edit. ant. 1a Pam. & Rig.

Multis gratiam Dei per Baptismum collatam commendat; ac demonstratis mundi erroribus, ad contemptum ejus, ad assiduã lectionem, orationémque adhortatur.

CÆCILIVS CYPRIANVS DONATO Salutem.

I. BENE admones, DONATE CARISSIME, nam & promisisse me memini, & reddendi tempestiuum prorsus hoc tempus est, quum indulgente vindemiâ, solutus animus in quietem solennes ac statas anni fatigantis inducias sortitur. Locus etiam cum die conuenit; & mulcendis sensibus ac fouendis ad lenes auras blandientis autumni, hortorum facies amœna consentit. Hîc jucundum sermonibus diem ducere, & studentibus fabulis in diuina præcepta conscientiam pectoris erudire: ac ne colloquium nostrum arbiter profanus impediat, aut clamor intemperans familiæ strepentis obtundat, petamus hanc sedem. Dant secessum vicina secreta, vbi dum erratici palmitum lapsus nexibus pendulis per arundines bajulas repunt, viteam porticum frondea tecta fecerunt. Benè hîc studia in aures damus: & dum in arbores & vites, quas videmus, oblectante prospectu oculos amœnamus, animum simul & auditus instruit & pascit obtutus. Quanquam tibi sola nunc gratia, sola cura sermonis est: contemptis voluptariæ visionis illecebris in me oculos tuos fixus es: quàm aure, quàm mente totus auditor es; & hoc amore, quo diligis. Cæterùm quale, vel quantum est, quod in pectus tuum veniat ex nobis? Exilis ingenij angusta mediocritas tenues admodum fruges

parit, nullis ad copiam fœcundi ceſpitis* culmis ingraueſcit: * al. culminibus.
aggrediar tamen facultate, qua valeo; nam & materia dicendi facit mecum. In judiciis, in concione pro roſtris, opulenta facundia volubili ambitione jactetur: cùm verò de Domino Deo vox eſt; vocis pura ſinceritas non eloquentiæ viribus nititur ad fidei argumenta, ſed rebus. Denique accipe non diſerta, ſed fortia; nec ad audientiæ popularis illecebram culto ſermone fucata, ſed ad diuinam indulgentiam prædicandam rudi veritate ſimplicia: accipe, quod ſentitur antequam diſcitur; nec per moras temporum longa agnitione colligitur, ſed compendio gratiæ maturantis hauritur.

Ergo cùm in tenebris atque in nocte cœca jacerem, cúmque in ſalo jactantis ſeculi nutabundus ac dubius veſtigiis oberrantibus fluctuarem, vitæ meæ neſcius, veritatis ac lucis alienus; difficile prorſus ac durum pro illis tunc moribus opinabar, quod in ſalutem mihi diuina indulgentia pollicebatur, vt quis renaſci denuò poſſet; vtque in nouam vitam lauacro aquæ ſalutaris animatus, quod priùs fuerat exponeret; & corporea licet manente compage, hominem animo ac mente mutaret. Quî poſſibilis, aiebam, eſt tanta conuerſio; vt repente ac perniciter exuatur, quod vel genuinum ſitu materiæ naturalis obduruit, vel vſurpatum diu ſenio vetuſtatis inoleuit? Alta hæc, & profunda penitus radice ſederunt. Quando parſimoniam diſcit, qui epularibus cœnis & largis dapibus aſſueuit? & qui pretioſâ veſte conſpicuus in auro atque in purpura fulſit, ad plebeium ſe ac ſimplicem cultum quando deponit? Faſcibus ille oblectatus & honoribus, priuatus & inglorius eſſe non poteſt. Hic ſtipatus clientium cuneis, frequentiore comitatu officioſi agminis honeſtatus pœnam putat eſſe cùm ſolus eſt; tenacibus ſemper illecebris aſſuetum, neceſſe eſt, vt ſolebat, vinolentia inuitet, inflet ſuperbia, iracundia inflammet, rapacitas inquietet, crudelitas ſtimulet, ambitio delectet, libido præcipitet. Hæc egomet ſæpe mecum: nam vt ipſe quamplurimis vitæ prioris erroribus implicitus tenebar, quibus exui me poſſe non crederem; ſic vitiis adhærentibus obſecundans eram, & deſperatione meliorum malis meis veluti jam propriis ac vernaculis fauebam.

Sed poſtquam vndæ genitalis auxilio ſuperioris æui labe

detersa, in expiatum pectus ac purum, desuper se lumen infudit; postquam cœlitus Spiritu hausto in nouum me hominem natiuitas secunda reparauit; mirum in modum protinus confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa; facultatem dare quod priùs difficile videbatur; geri posse, quod impossibile putabatur: vt esset agnoscere terrenum fuisse, quod priùs carnaliter natum delictis obnoxium viueret; Dei esse cœpisse, quod jam Spiritus sanctus animaret. Scis ipse profectò & mecum pariter recognoscis quid detraxerit nobis, quídue contulerit mors ista criminum, vita virtutum. Scis ipse, nec prædico; in proprias laudes odiosa jactatio est; quamuis non jactatum possit esse, sed gratum quicquid non virtuti hominis adscribitur, sed de Dei munere prædicatur; vt jam non peccare esse cœperit fidei; quod antè peccatum est, fuerit erroris humani. Dei est, inquam, Dei omne quod possumus: inde viuimus; inde pollemus; inde sumpto & concepto vigore hîc adhuc positi futurorum indicia prænoscimus. Sit tantùm timor innocentiæ custos, vt Dominus qui in mentes nostras indulgentiæ cœlestis allapsu clementer infulsit, in animi oblectantis hospitio justâ operatione teneatur; ne accepta securitas indiligentiam pariat, & vetus denuo hostis obrepat.

Si probam quis ducit vitam Deo ascribat.

Cæterùm si tu innocentiæ, si justitiæ viam teneas, si illapsa firmitate vestigij tui incedas; si in Deum viribus totis, ac toto corde suspensus, hoc sis tantùm quod esse cœpisti; tantum tibi ad licentiam datur, quantum gratiæ spiritalis augetur. Non enim (qui beneficiorum terrestrium mos est) in capessendo munere cœlesti mensura vlla vel modus est; profluens largiter Spiritus nullis finibus premitur, nec coërcentibus claustris intra certa metarum spatia frænatur: manat jugiter, exuberat affluenter; nostrum tantùm sitiat pectus & pateat; quantum illuc fidei capacis afferimus, tantum gratiæ inundantis haurimus. Inde jam facultas datur, castitate sobriâ, mente integrâ, voce purâ, virtute sincerâ, in medelam dolentium vulnerum posse venenorum virus extinguere; animorum desipientium labes redditâ sanitate purgare, infestis jubere pacem, violentis quietem, ferocientibus lenitatem; immundos & erraticos spiritus, qui se expugnandis hominibus immerserint, ad confessionem minis increpantibus cogere;

vt recedant, duris verberibus vrgere; conflictantes, ejulantes, gementes, incremento pœnæ propagantis extendere, flagris cædere, igne torrere. Res illic geritur, nec videtur: occulta plaga, & pœna manifesta. Ita quod esse jam cœpimus, acceptus spiritus licentia sua potitur; sed quòd necdum corpus ac membra mutauimus, adhuc carnalis aspectus seculi nube cæcatur. Quantus hic animi potentatus, quanta vis est, non tantùm ipsum esse subtractum perniciosis contactibus mundi, vt qui expiatus & purus nullâ incursantis inimici labe capiatur; sed adhuc majorem, & fortiorem viribus fieri, vt in omnem aduersarij grassantis exercitum, imperioso jure dominetur?

Atque vt illustriùs veritate patefacta diuini muneris indicia clarescant, lucem tibi ad cognitionem dabo, malorum blandientium caligine abstersa, opertas seculi tenebras reuelabo. Paulisper te crede subduci in montis ardui verticem celsiorem, speculare inde rerum infra te jacentium facies; & oculis in diuersa porrectis, ipse à terrenis contactibus liber fluctuantis mundi turbines intuere. Iam seculi & ipse misereberis, tuíque admonitus & plùs in Deum gratus, majore lætitiâ quòd euaseris, gratulaberis. Cerne tu itinera latronibus clausa, maria obsessa prædonibus, cruento horrore castrorum bella vbique diuisa: madet orbis mutuo sanguine; & homicidium cùm admittunt singuli, crimen est; virtus vocatur cùm publicè geritur: impunitatem sceleribus acquirit non innocentiæ ratio, sed sæuitiæ magnitudo. Iam si ad vrbes ipsas oculos tuos atque ora conuertas, celebritatem offendes omni solitudine tristiorem. Paratur gladiatorius ludus, vt libidinem crudelium luminum sanguis oblectet. Impletur in succum cibis fortioribus corpus, & aruinæ toris membrorum moles robusta pinguescit, vt saginatus in pœnam cariùs pereat. Homo occiditur in hominis voluptatem, & vt quis possit occidere peritia est, vsus est, ars est: scelus non tantùm geritur, sed & docetur; quid potest inhumanius, quid acerbius dici? disciplina est, vt perimere quis possit: & gloria est, quòd perimit. Quid illud, oro te, quale est, vbi se feris objiciunt, quos nemo damnauit? ætate integrâ, honestâ satis formâ, veste pretiosâ, viuentes iuuenes in vltroneum funus ornantur, malis suis miseri gloriantur: pugnant ad

Quæ in mundo patrantur mala ob oculos ponit.

bestias bestiæ non crimine, sed furore. Spectant filios suos patres. Frater in cauea est, & soror præsto est. Et spectaculi licet pretium largior muneris apparatus amplificet, vt mœroribus suis mater intersit, hoc, proh dolor! mater & redimit; & in tam impiis spectaculis, támque diris & funestis esse se non putant oculi parricidas.

Conuerte hinc vultus ad diuersa spectaculi non minus pœnitenda contagia: in theatris quoque conspicies, quod tibi & dolori sit, & pudori. Cothurnus est tragicus prisca facinora carmine recensere: de parricidis & incestis horror antiquus, expressâ ad imaginem veritatis actione replicatur, ne seculis transeuntibus exolescat, quod aliquando commissum est. Admonetur ætas omnis auditu, fieri posse quod factum est: nunquam æui senio delicta moriuntur, nunquam temporibus crimen obruitur, nunquam scelus obliuione sepelitur, exempla fiunt quæ esse jam facinora desstiterunt. Tum delectat in mimis turpitudinum magisterio vel quid domi gesserit, recognoscere; vel quid gerere possit audire. Adulterium discitur, dum videtur; & lenocinante ad vitia publicæ auctoritatis malo, quæ pudica fortasse ad spectaculum matrona processerat, de spectaculo reuertitur impudica. Adhuc deinde morum quanta labes, quæ probrorum fomenta, quæ alimenta vitiorum, histrionicis gestibus inquinari? Videre contra fœdus júsque nascendi, patientiam incestæ turpitudinis elaboratam? Euirantur mares, honor omnis & vigor sexus eneruati corporis dedecore mollitur, plúsque illic placet quisquis virum in fœminam magis fregerit; in laudem crescit ex crimine, & peritior quo turpior judicatur. Spectatur hic, proh! nefas & libenter. Quid non possit suadere qui talis est? Mouet sensus, mulcet affectus, expugnat boni pectoris conscientiam fortiorem; nec deest probri blandientis auctoritas, vt auditu molliore pernicies hominibus obrepat. Exprimunt impudicam Venerem, adulterum Martem, Iouem illum suum non magis regno, quàm vitiis principem, in terrenos amores cum ipsis suis fulminibus ardentem, nunc in plumas oloris albescere, nunc aureo imbre defluere, nunc in puerorum pubescentium raptus ministris auibus prosilire.

Quære jam nunc an possit esse, qui spectat, integer vel pudicus. Deos suos, quos venerantur, imitantur, fiunt miseris

& religioſa delicta. O ſi poſſis in illa ſublimi ſpecula conſtitutus oculos tuos inſerere ſecretis, recludere cubiculorum obductas fores, & ad conſcientiam luminum penetralia occulta reſerare: aſpicias ab impudicis geri, quod nec poſſit aſpicere frons pudica: Videas, quod crimen ſit & videre: videas quod vitiorum furore dementes geſſiſſe ſe negant, & gerere feſtinant. Libidinibus inſanis in viros viri proruunt: fiunt quæ nec illis ipſis poſſunt placere, qui faciunt. Mentior niſi alios qui talis eſt, increpat; turpes turpis infamat, & euaſiſſe ſe conſcium credit, quaſi * conſcientia ſatis non ſit. (* *aliàs*, conſcientiam ſuam non poſſe effugere ſatis non ſit.) Iidem in publico accuſatores, in occulto rei; in ſemetipſos cenſores pariter, & nocentes; damnant foris, quod intus operantur; admittunt libenter, quod cùm admiſerint, criminantur: audacia prorſus cum vitiis faciens, & impudentia congruens impudicis. Nolo mireris quæ loquuntur hujuſmodi ore illo polluto; quicquid jam voce delinquitur, minus eſt.

Sed tibi poſt inſidioſas vias, poſt diſperſas orbe toto multiplices pugnas, poſt ſpectacula vel cruenta, vel turpia, poſt libidinum probra vel lupanaribus proſtituta vel domeſticis parietibus obſepta, quorum quo ſecretior culpa, major audacia eſt; forum fortaſſe videatur immune, quod ab injuriis laceſſentibus liberum, nullis malorum contactibus polluatur. Illuc aciem tuam flecte; plura illic quæ deteſteris inuenies, magis oculos tuos inde diuertes. Inciſæ ſint licet leges duodecim Tabulis, & publicè ære præfixo jura præſcripta ſint: inter leges ipſas delinquitur, inter jura peccatur, innocentia nec illic, vbi defenditur, reſeruatur. Sæuit inuicem diſcordantium rabies, & inter togas pace ruptâ forum litibus mugit inſanum; Haſta illic & gladius, & carnifex præſto eſt, vngula effodiens, equuleus extendens, ignis exurens, ad hominis corpus vnum ſupplicia plura quàm membra ſunt. Quis inter hæc verò ſubueniat? Patronus? ſed præuaricatur & decipit. Iudex? ſed ſententiam vendit. Qui ſedet crimina vindicaturus, admittit; & vt reus innocens pereat, fit nocens judex. Flagrant vbique delicta, & paſſim multiformi genere peccandi per improbas mentes nocens virus operatur. Hic teſtamentum ſubjicit: ille falſum capitali fraude conſcribit: hîc arcentur hereditatibus liberi: illic bonis donantur alieni.

Inimicus insimulat, calumniator impugnat, testis infamat, vtrobique grassatur in mendacium criminum prostitutæ vocis venalis audacia, cùm interim nocentes nec cum innocentibus pereunt. Nullus de legibus metus est. De quæsitore, de judice pauor nullus: quod potest redimi, non timetur: esse jam inter nocentes innoxium criminis est: malos quisquis non imitatur, offendit. Consensere jura peccatis, & cœpit licitum esse quod publicum est. Quis illic rerum pudor, quæ esse possit integritas; vbi qui damnent improbos desunt, soli tibi qui damnentur occurrunt?

Bona temporalia & honores quàm fluxa & vana sunt.

Sed ne nos videamur eligere fortasse pejora, & studio destruendi, per ea oculos tuos ducere, quorum tristis atque auersandus aspectus ora & vultus conscientiæ melioris offendat; jam tibi illa, quæ ignorantia secularis bona opinatur, ostendam, illic etiam fugienda conspicies. Quos honores putas esse? quos fasces? quam affluentiam in diuitiis? quam potentiam in castris? in magistratu purpuræ speciem? in principatu licentiæ potestatem? Malorum blandientium virus occultum est, & arridentis nequitiæ facies quidem læta, sed calamitatis abstrusæ illecebrosa fallacia; instar quoddam veneni, vbi in lethales succos dulcedine aspersa, calliditate fallendi sapore medicato, poculum videtur esse quod sumitur: vbi epotaueris, pernicies hausta grassatur. Quippe illum vides, qui amictu clariore conspicuus fulgere sibi videtur in purpura, quibus hoc sordibus emit vt fulgeat? quos arrogantium fastus priùs pertulit? quas superbas fores matutinus salutator obsedit? quot tumentium contumeliosa vestigia stipatus in clientium cuneos antè præcessit, vt ipsum etiam salutatum comes postmodùm pompa præcederet, obnoxia non homini sed potestati? neque enim coli moribus meruit ille, sed fascibus. Horum denique videas exitus turpes, cùm auceps temporum palpator abscessit, cùm priuati latus nudum desertor assecla fœdauit; tunc laceratæ domus plagæ conscientiam feriunt, tunc rei familiaris exhaustæ damna noscuntur, quibus redemptus fauor vulgi, & caducis atque inanibus votis popularis aura quæsita est. Stulta prorsus & vana jactura, frustrantis spectaculi voluptate id parare voluisse, quod nec populus acciperet, & perderet magistratus.

Sed & quos diuites opinaris, continuantes saltibus saltus,

&

& de confinio pauperibus exclusis, infinita ac sine terminis rura latiùs porrigentes; quibus argenti & auri maximum pondus, & pecuniarum ingentium vel extructi aggeres, vel defossæ strues; hos etiam inter diuitias suas trepidos cogitationis incertæ solicitudo discruciat, ne prædo vastet, ne percussor infestet, ne inimica cujúsque locupletioris inuidia calumniosis litibus inquietet. Non cibus securo, somnúsue contingit: suspirat ille in conuiuio, bibat licet gemmâ; & cùm epulis marcidum corpus torus mollior alto sinu condiderit, vigilat tamen in pluma: nec intelligit miser speciosa sibi esse supplicia, auro se alligatum teneri, & possideri magis, quàm possidere diuitias atque opes. O detestabilis cæcitas mentium, & cupiditatis insanæ profunda caligo! cùm exonerare se possit & leuare ponderibus, pergit magis fortunis angentibus incubare, pergit pœnalibus cumulis pertinaciter adhærere. Nulla in clientes inde largitio est; cum indigentibus nulla partitio; & pecuniam suam dicunt, quam velut alienam domi clausam solicito labore custodiunt: ex qua non amicis, non liberis quicquam, non sibi denique impertiunt; possident ad hoc tantùm, ne possidere alteri liceat. Et, ô nominum quanta diuersitas! bona appellant, ex quibus nullus illis, nisi ad res malas vsus est. Diuites & auaros insectatur.

An tu vel illos putas tutos, illos saltem inter honorum infulas & opes largas stabili firmitate securos, quos regalis aulæ splendore fulgentes armorum excubantium tutela circunstat? Major illis quàm cæteris metus est: tam ille timere cogitur, quàm timetur. Exigit pœnas pariter de potentiore sublimitas, sit licet satellitum manu septus, & clausum ac protectum latus numeroso stipatore tueatur. Quàm securos non sinit esse subjectos, tam necesse est non sit & ipse securus. Antè ipsos terret potestas sua, quos facit esse terribiles. Arridet, vt sæuiat: blanditur, vt fallat.: illicit, vt occidat: extollit, vt deprimat. Fœnore quodam nocendi quàm fuerit amplior summa dignitatis & honorum, tam major exigitur vsura pœnarum.

Vna igitur placida & fida tranquillitas: vna, solida, & firma & perpetua securitas, si quis ab his inquietantis seculi turbinibus extractus, salutaris portus statione fundetur, ad cœlum oculos tollat à terris, & ad Domini munus admissus, ac Solida & perpetua animi securitas in cõtemptu stat tempora-

lium, ac consecta- tione cœle- stium.

Deo suo mente jam proximus quicquid apud cæteros in rebus humanis sublime ac magnum videtur, intra suam jacere conscientiam glorietur. Nihil appetere jam, nihil desiderare de seculo potest, qui seculo major est. Quàm stabilis, quàm inconcussa tutela est, quàm perennibus bonis affluens cœleste præsidium, implicantis mundi laqueis solui, in lucem immortalitatis æternæ de terrena fæce purgari. Viderit quæ in nos priùs infestantis inimici pernicies insidiosa grassata sit: Plus amare compellimur, quod futuri sumus: dum & scire conceditur, & damnare quod eramus. Nec ad hoc pretiis, aut ambitu, aut manu opus est, vt hominis summa vel dignitas, vel potestas elaboratâ mole pariatur: sed gratuitum de Deo munus, & facile est. Vt sponte sol radiat, dies illuminat, fons rigat, imber irrorat; ita se Spiritus cœlestis infundit. Postquàm auctorem suum, cœlum intuens anima cognouit, solo altior, & hac omni terrenâ potestate sublimior, id esse incipit, quod se esse credit. Tu tantùm, quem jam spiritalibus castris cœlestis militia signauit, tene incorruptam, tene sobriam religiosis virtutibus disciplinam; sit tibi vel oratio assidua, vel lectio: nunc cum Deo loquere, nunc Deus tecum: ille te præceptis suis instruat, ille disponat: quem ille diuitem fecerit, nemo pauperem faciet. Penuria esse nulla jam poterit, cui semel pectus cœlestis sagina saturauerit. Iam tibi auro distincta laquearia, & pretiosi marmoris crustis vestita domicilia sordebunt; cùm scieris te excolendum magis, te potiùs ornandum, domum tibi hanc esse potiorem, quam Dominus insedit templi vice, in qua Spiritus sanctus cœpit habitare. Pingamus hanc domum pigmentis innocentiæ, illuminemus luce justitiæ. Non hæc vnquam procumbet in lapsum senio vetustatis, nec pigmento parietis, aut auro exolescente fœdabitur. Caduca sunt quæcunque fucata sunt, nec fiduciam præbent possidentibus stabilem, quæ possessionis non habent firmitatem. Hæc manet cultu jugiter viuido, honore integro, splendore diuturno; aboleri non potest, nec extingui; potest tantùm in melius corpore redeunte formari. Hæc interim breuibus, DONATE CARISSIME: nam etsi facilem de bonitate patientiam, mentem in Deum solidam, fidem tutam salutaris auditus oblectat, nihîlque tam tuis auribus gratum est quàm quod in Deo gratum est;

moderari tamen dicenda debemus ſimul juncti, & ſæpius colloquuturi. Et quoniam feriata nunc quies, ac tempus eſt otioſum, quicquid inclinato jam ſole in veſperam diei ſupereſt, ducamus hunc diem læti, nec ſit vel hora conuiuij gratiæ cœleſtis immunis; ſonet Pſalmos conuiuium ſobrium, & vt tibi tenax memoria eſt, vox canora, aggredere hoc munus ex more. Magis cariſſimos paſces, ſi ſit nobis ſpiritalis auditio, prolectet aures religioſa mulcedo.

CYPRIANVS

L. 2. ep. 6. 9a. Pam. 8 Rig.

Martyribus & Confeſſoribus IESV-CHRISTI Domini noſtri in Deo Patre, perpetuam ſalutem.

II. EXVLTO lætus & gratulor, FORTISSIMI AC BEATISSIMI FRATRES, cognitâ fide ac virtute veſtrâ, in quibus mater Eccleſia gloriatur; gloriata eſt & nuper quidem, cùm confeſſione perſtante ſuſcepta pœna eſt, quæ Confeſſores Chriſti fecit extorres: confeſſio tamen præſens, quantò in paſſione fortior, tantò clarior & major in honore eſt. Creuit pugna, creuit & pugnantium gloria. Nec retardati eſtis ab acie tormentorum metu, ſed ipſis tormentis magis eſtis ad aciem prouocati; fortes & ſtabiles ad maximi certaminis prælium prompta deuotione rediſtis. Ex quibus quoſdam jam comperi coronatos; quoſdam verò ad coronam victoriæ proximos; vniuerſos autem, quos agmine glorioſo carcer incluſit, pari ac ſimili calore virtutis ad gerendum certamen animatos: ſicut eſſe oportet in diuinis caſtris milites Chriſti; vt incorruptam fidei firmitatem non blanditiæ decipiant, non minæ terreant, non cruciatus ac tormenta deuincant; quia major eſt qui in nobis eſt, quàm qui eſt in hoc mundo. Nec plùs ad dejiciendum poteſt terrena pœna, quàm ad erigendum tutela diuina. Probata res eſt certamine fratrum glorioſo, qui ad tormenta vincenda cæteris duces facti, exemplum virtutis ac fidei præbuerunt, congreſſi in acie, donec acies ſuccumberet victa.

Martyres mitis modis à conſtantia cõmendans, inuitat ad perſeuerãtiam exemplo Mappalici.

Quibus ego vos laudibus prædicem, FORTISSIMI FRATRES? robur pectoris vestri, & perseuerantiam fidei quo præconio vocis exornem? Tolerastis vsque ad consummationem gloriæ durissimam quæstionem, nec cessistis suppliciis, sed vobis potiùs supplicia cesserunt. Finem dolorum, quem tormenta non dabant, coronæ dederunt. Laniena grauior ad hoc diu perseuerauit, non vt stantem fidem dejiceret, sed vt homines Dei ad Dominum velociùs mitteret. Vidit admirans præsentium multitudo cæleste certamen, certamen Dei, spiritale certamen, prælium Christi; stetisse seruos ejus voce liberâ, mente incorruptâ, virtute diuinâ, telis quidem secularibus nudos, sed armis fidei credentes armatos. Steterunt torti torquentibus fortiores; & pulsantes ac laniantes vngulas, pulsata ac laniata membra vicerunt. Inexpugnabilem fidem superare non potuit sæuiens diu plaga repetita, quamuis rupta compage viscerum torquerentur in seruis Dei jam non membra sed vulnera. Fluebat sanguis, qui incendium persecutionis extingueret, qui flammas & ignes gehennæ glorioso cruore sopiret. O quale illud fuit spectaculum Domino, quàm sublime, quàm magnum, quàm Dei oculis sacramento ac deuotione militis ejus acceptum, sicut scriptum est in Psalmis Spiritu sancto loquente ad nos pariter & monente: *Pretiosa est in conspectu Domini mors justorum ejus*: pretiosa mors hæc est, quæ emit immortalitatem pretio sui sanguinis; quæ accipit coronam de consummatione virtutis. Quàm lætus illic Christus fuit, quàm libens in talibus seruis suis & pugnauit & vicit protector fidei, dans credentibus tantùm, quantum se credit accipere qui sumit: certamini suo adfuit, præliatores atque assertores sui nominis erexit, corroborauit, animauit. Et qui pro nobis mortem semel vicit, semper vincit in nobis. *Cùm vos*, inquit, *tradiderint, nolite cogitare quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.*

Ps. 115. 15. *Matt. 10. 19.*

Documentum rei præsens prælium præbuit. Vox plena Spiritu sancto de Martyris ore prorupit, cùm Mappalicus beatissimus inter cruciatus suos Proconsuli diceret: Videbis cras agonem. Et quod ille cum virtutis ac fidei testimonio dixit, Dominus impleuit. Agon cælestis exhibitus, & Dei

seruus in agonis promissi certamine coronatus est. Hic est agon quem Propheta Esaïas prædixit dicens : *Non pusillum vobis certamen cum hominibus, quoniam Deus præstat agonem.* Et vt ostenderet quis hic agon futurus esset, addidit dicens : *Ecce virgo in vtero accipiet & pariet filium, & vocabis nomen ejus Emmanuel.* Hic est agon fidei nostræ quâ congredimur, quâ vincimus, quâ coronamur. Hic est agon quem nobis ostendit Beatus Apostolus Paulus, in quo oportet nos currere, & ad coronam gloriæ peruenire: *Nescitis*, inquit, *quia qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, vnus tamen accipit palmam? sic currite vt occupetis. Omnis enim qui agonizat, in omnibus continens est; & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Item suum certamen ostendens & hostiam se Domini citò futurum esse promittens ait : *Ego jam delibor, & tempus instat assumptionis meæ. Bonum agonem certaui, cursum perfeci, fidem seruaui. Iam superest mihi corona justitiæ, quam mihi reddet Dominus in illa die, ille justus judex: non solùm autem mihi, sed & omnibus qui dilexerint aduentum ejus.*

Is. 7. 13.

Ibid. 14.

1. Cor 9.

2. Tim 4.

Hunc igitur agonem per Prophetas antè prædictum, per Dominum commissum, per Apostolos gestum, Mappalicus suo & collegarum suorum nomine Proconsuli repromisit; nec fefellit in promisso suo vox fidelis; pugnam, quam spopondit, exhibuit; & palmam, quam meruit, accepit. Istum nunc Beatissimum Martyrem, & alios participes ejusdem congressionis & comites, in fide stabiles, in dolore patientes, in quæstione victores, vt cæteri quoque sectemini, & opto pariter, & exhortor; vt quos vinculum confessionis & hospitium carceris simul junxit, jungat etiam consummatio virtutis, & corona cælestis; vt lacrymas matris Ecclesiæ, quæ plangit ruinas & funera plurimorum, vos vestrâ lætitiâ tergeatis; & cæterorum quoque stantium firmitatem vestri exempli prouocatione solidetis. Si vos acies prouocauerit, si certaminis vestri dies venerit; militate fortiter, dimicate constanter, scientes vos sub oculis præsentis Domini dimicare, confessione nominis ejus ad ipsius gloriam peruenire: qui non sic est, vt seruos suos tantùm spectet; sed & ipse luctatur in nobis, ipse congreditur, ipse in certamine agonis nostri & coronat pariter, & coronatur.

Quòd si ante diem certaminis vestri de indulgentia

Domini pax ſuperuenerit, vobis tamen maneat voluntas integra, & conſcientia glorioſa. Nec contriſtetur aliquis ex vobis quaſi illis minor qui ante vos tormenta perpeſſi, victo & calcato ſeculo ad Dominum glorioſo itinere venerunt: Dominus ſcrutator eſt renis & cordis: arcana perſpicit & intuetur occulta. Ad coronam Dei promerendam ſufficit ipſius teſtimonium ſolum, qui judicaturus eſt. Ergo vtraque res, FRATRES CARISSIMI, ſublimis eſt pariter & illuſtris: illa ſecurior, ad Dominum victoriæ conſummatione properare: hæc lætior, accepto poſt gloriam commeatu, in Eccleſiæ laude* florere. O beatam Eccleſiam noſtram, quam ſic honor diuinæ dignationis illuminat, quam temporibus noſtris glorioſus Martyrum ſanguis illuſtrat. Erat antè in operibus Fratrum candida, nunc facta eſt in Martyrum cruore purpurea. Floribus ejus nec lilia nec roſæ deſunt. Certent nunc ſinguli ad vtriuſque honoris ampliſſimam dignitatem: vt accipiant coronas vel de opere candidas, vel de paſſione purpureas. In cœleſtibus caſtris & pax & acies habent flores ſuos, quibus miles Chriſti ob gloriam coronetur. Opto vos, FORTISSIMI AC BEATISSIMI FRATRES, ſemper in Domino bene valere, & noſtri meminiſſe. Valete.

* al. Eccleſiæ laudem.

CYPRIANVS

L. 2. ep 4. 16ª Pam. 15. Rig.

MOYSI ET MAXIMO Preſbyteris, & cæteris Confeſſoribus Fratribus ſalutem.

Eis gratulatur ob conſtãtem fidei confeſſionem.

III ET cunctos vos pariter & ſingulos repræſentauit affectibus noſtris, Fratres chariſſimi, Celerinus adueniens, & fidei ac virtutis veſtræ comes, & glorioſis congreſſibus Dei miles; vniuerſos vos in illo veniente conſpeximus; & cùm charitatem circa me veſtram dulciter ac ſæpe loqueretur, in ejus ſermonibus vos audiebamus. Satis ac plurimùm gaudeo, quando à vobis per tales talia perferuntur: vobiſcum illic in carcere quodam modo & nos ſumus, diuinæ dignationis ornamenta* vobiſcum ſentire nos credimus, qui ſic veſtris cordibus inhæ-

* al. hortamenta.

remus: honori nos vestro charitas vestra indiuidua connectit. Separari dilectionem spiritus non sinit: vos illic confessio, me affectio includit. Et nos quidem vestri diebus ac noctibus memores, & quando in sacrificiis precem cum pluribus facimus, & cùm in secessu priuatis precibus oramus, coronis ac laudibus vestris plenam à Domino fauentiam postulamus. Sed ad reddendam vobis vicem minor est nostra mediocritas: plus vos datis quando nostri in oratione meministis, qui spirantes jam sola cælestia, & tantùm diuina meditantes, ad fastigia celsiora morâ ipsâ passionis ascenditis; longóque temporum ductu glorias vestras non trahitis, sed augetis. Beatum facit prima, & vna confessio: vos totiens confitemini, quotiens rogati, vt de carcere recedatis, carcerem fide & virtute præeligitis: tot vestræ laudes, quot dies: quot mensium curricula, tot incrementa meritorum. Semel vincit qui statim patitur: at qui manens semper in pœnis, congreditur cum dolore nec vincitur; quotidie coronatur.

Eant nunc Magistratus & Consules siue Proconsules, annuæ dignitatis insignibus & duodecim fascibus glorientur; ecce dignitas cælestis in vobis honoris annui claritate signata est: & jam reuertentis anni volubilem circulum victricis gloriæ diuturnitate transgressa est. Illuminabat mundum sol oriens & luna decurrens, sed vobis idem qui solem fecit & lunam, majus in carcere lumen fuit; & in corde ac mentibus vestris Christi claritudo resplendens, horribiles cæteris atque funestas pœnalis loci tenebras æterna illa & candida luce radiauit Per vicissitudines mensium transmeauit tempus hybernum; sed & vos inclusi tempora hyemis, persecutionis hyeme pensastis. Successit hyemi verna temperies rosis læta, & floribus coronata; sed vobis rosæ & flores de Paradisi deliciis aderant; & caput vestrum serta cælestia coronabant. Æstas ecce messium fertilitate fœcunda est, & area frugibus plena est: sed vos qui gloriam seminastis, frugem gloriæ metitis: atque in Domini area constituti, exuri paleas inextinguibili igne conspicitis; ipsi vt tritici grana purgata & frumenta pretiosa; jam purgati & conditi, hospitium carceris horreum computatis. Nec deest autumno ad munera fungenda temporis gratia spiritalis: vindemia foris premitur, & profutura poculis in torcularibus vua calcatur. Vos de Do-

mini vinea pingues racemi, & jam maturis fructibus botri, pressuræ secularis infestatione calcati, torcular vestrum carcere torquentes, vini vice sanguinem funditis; ad passionis tolerantiam fortes, martyrij poculum libenter hauritis. Sic apud seruos Dei annus euoluitur: sic spiritalibus meritis, & cælestibus præmiis temporum vicissitudo celebratur.

Beati satis qui ex vobis per hæc gloriarum vestigia commeantes, jam de seculo recesserunt, confectóque itinere virtutis ac fidei ad complexum & osculum Domini, Domino ipso gaudente venerunt. Sed & vestra non minor gloria, qui adhuc in certamine constituti, & comitum glorias secuturi, pugnã diu geritis, immotáque & inconcussâ fide stabiles, quotidie spectaculum Deo vestris virtutibus exhibetis. Quo longior vestra pugna, hoc corona sublimior. Agon vnus, sed multiplici prælíorum numerositate congestus. Famem vincitis, & sitim spernitis, & squalorem carceris ac receptaculi pœnalis horrorem roboris vigore calcatis. Pœna illic subigitur, cruciatus obteritur, nec mors metuitur, sed optatur; quæ scilicet immortalitatis præmio vincitur, vt vitæ æternitate, qui vicerit, coronetur. *

* al. honoretur.

Qui nunc in vobis animus, quàm sublime, quàm capax pectus; vbi talia & tanta voluuntur: vbi non nisi Dei præcepta & Christi præmia cogitantur, voluntas est illic tantùm Dei; & in carne adhuc licet vobis positis, vita jam viuitur non præsentis seculi, sed futuri. Nunc est, FRATRES CHARISSIMI, vt memores mei sitis, vt inter magnas atque diuinas cogitationes vestras nos quoque animo ac mente voluatis, símque in precibus & orationibus vestris, cùm vox illa purificatione confessionis illustris, & jugi honoris sui tenore laudabilis ad Dei aures penetrat, & aperto sibi cælo, de his subacti mundi partibus ad superna transmissa, impetrat de Domini voluntate quod postulat. Quid enim petitis de indulgentia Domini, quod non impetrare mereamini, qui sic Domini mandata seruastis; qui Euangelicam disciplinam sincero fidei vigore tenuistis, qui incorrupto honore virtutis, cum præceptis Domini, & cum Apostolis ejus fortiter stantes, nutantem multorum fidem Martyrij vestri veritate solidastis? Verè Euangelij testes, & verè Mar-

tyres

tyres Christi, radicibus ejus innixi, super petram robusta mole fundati, disciplinam cum virtute junxistis, ad timorem Dei cæteros prouocastis, martyria vestra exempla fecistis. Opto vos, FORTISSIMI AC BEATISSIMI FRATRES, semper benè valere, & nostri meminisse.

CYPRIANVS

Plebi Thibari consistenti, salutem.

L. 4. ep. 6. 56. Pam. 55. Rig.

IV. COGITAVERAM quidem, FRATRES DILECTISSIMI, atque in votis habebam, si rerum ratio ac temporis conditio permitteret, secundum quod frequenter desiderastis, ipse ad vos venire, & quantulacunque mediocritate exhortationis nostræ præsens illic fraternitatem vestram corroborare. Sed quoniam sic rebus vrgentibus detinemur, vt longè istinc excurrere, & diu à plebe, cui de diuina indulgentia præsumus, abesse non detur facultas, has interim pro me ad vos vicarias literas misi. Nam cùm Domini instruentis dignatione instigemur sæpiùs, ampliùs & admoneamur; ad vestram quoque conscientiam admonitionis nostræ solicitudinem perferre debemus. Scire enim debetis & pro certo credere ac tenere, pressuræ diem super caput esse cœpisse, & occasum seculi atque Antichristi tempus appropinquasse; vt parati omnes ad prælium stemus, nec quidquam nisi gloriam vitæ æternæ, & coronam confessionis Dominicæ cogitemus; nec putamus talia esse, quæ veniunt, qualia fuerunt illa quæ transierunt. Grauior nunc & ferocior pugna imminet, ad quam fide incorruptâ, & virtute robustâ parare se debent milites Christi; considerantes iccircò se quotidie calicem sanguinis Christi bibere, vt possint & ipsi propter Christum sanguinem fundere. Hoc est enim velle cum Christo inueniri, id quod Christus & docuit & fecit, imitari; secundum Ioannem Apostolum dicentem *Qui dicit se in Christo manere, debet quomodò ille ambulauit & ipse ambulare.* Item beatus Apostolus Paulus exhortatur, & docet, dicens: *Sumus filij: si autem filij Dei,*

Incœptâ secundâ persecutione plebem Thibaritanam exhortatur ad martyrium

1. Ioan. 2. 6.

Rom. 8. 17.

& heredes Dei, coheredes autem Christi; si quidem compatiamur vt & commagnificemur. Quæ nunc omnia consideranda sunt nobis, vt nemo quidquam de seculo jam moriente desideret, sed sequatur Christum, qui & viuit in æternum, & viuificat seruos suos in fide sui nominis constitutos.

Venit enim tempus, FRATRES DILECTISSIMI, quod jam pridem Dominus noster prænunciauit, & docuit aduenire,
Ioan. 16. 2. dicens: *Veniet hora, vt omnis, qui vos occiderit, putet se obsequium Deo facere. Sed hæc facient, quoniam non cognouerunt Patrem, neque me. Hæc autem locutus sum vobis, vt cùm venerit hora eorum, memores sitis quia ego dixi vobis.* Nec quisquam miretur persecutionibus nos assiduis fatigari, & pressuris angentibus frequenter vrgeri; quando hæc futura in nouissimis temporibus Dominus antè prædixerit, & militiam nostram magisterio & hortamento sui sermonis instruxerit: Petrus quoque Apostolus ejus docuerit, ideò persecutiones fieri, vt probemur, & vt dilectioni Dei, justorum præcedentium exemplo, nos etiam morte & passionibus copulemur; posuit
1. Pet. 4. 12. enim in Epistola sua, dicens: *Charissimi, nolite mirari ardorem accidentem vobis, qui ad tentationem vestram fit, nec excidatis tanquam nouum vobis contingat, sed quotienscunque communicatis Christi passionibus, per omnia gaudete, vt & in reuelatione factæ claritatis ejus gaudentes exultetis. Si improperatur vobis in nomine Christi, beati estis; quia majestatis & virtutis Domini nomen in vobis requiescit. Quod quidem secundum illos blasphematur, secundum nos autem honoratur.* Docuerunt autem nos Apostoli ea, quæ de præceptis Dominicis & cœlestibus mandatis ipsi quoque didicerunt, Domino ipso scilicet corroborante nos, & dicente:
Luc. 18. 29. *Nemo est qui relinquat domum, aut agrum, aut parentes, aut fratres, aut sorores, aut vxorem, aut filios propter regnum Dei, & non recipiat septies tantum in isto tempore, in seculo autem venturo vitam æter-*
Mat. 5. 11. *nam.* Et iterum; *Beati*, inquit, *eritis, cùm vos odio habuerint homi-*
Luc. 6. 22. *nes, & separauerint vos, & expulerint, & maledixerint nomini vestro quasi nequam, propter filium hominis: gaudete in illa die & exultate, ecce enim merces vestra multa est in cælis.*

Gaudere nos & exultare voluit in persecutionibus Dominus, quia quando persecutiones fiunt, tunc dantur coronæ fidei, tunc probantur milites Dei, tunc Martyribus patent cæli. Neque enim sic nomen militiæ dedimus, vt pacem

tantummodò cogitare, & detrectare & recusare militiam debeamus; quando in ipsa militia primus ambulauerit Dominus, humilitatis & tolerantiæ & passionis magister; vt quod fieri docuit, prior faceret, & quod pati hortatur, prior pro nobis ipse pateretur. Sit ante oculos, FRATRES DILECTISSIMI, quod qui omne judicium à Patre solus accepit, & qui venturus est & judicaturus, jam judicij sui & cognitionis futuræ sententiam protulerit; prænuncians & contestans: confessurum se coram Patre suo confitentes, & negaturum negantes. *Mat. 10.32* Si mortem possemus euadere, meritò mortem timeremus. Porrò autem cùm mortalem mori necesse sit, amplectamur occasionem de diuina promissione & dignatione venientem, & fungamur exitu mortis cum præmio immortalitatis; nec vereamur occidi, quos constet quando occidimur, coronari. Nec quisquam, Fratres dilectissimi, cùm populum nostrum fugari conspexerit metu persecutionis & spargi, conturbetur, quòd collectam fraternitatem non videat, nec tractantes Episcopos audiat. Simul tunc omnes esse non possunt, quibus occidere non licet, sed occidi necesse est. Vbicunque in illis diebus vnusquisque fratrum fuerit à grege interim necessitate temporis corpore non spiritu separatus, non moueatur ad fugæ illius horrorem, nec recedens & latens deserti loci solitudine terreatur. Solus non est, cui Christus in fuga comes est: solus non est, qui templum Dei seruans, vbicunque fuerit, sine Deo non est. Et si fugientem in solitudine ac montibus latro oppresserit, fera inuaserit, fames aut sitis aut frigus afflixerit, vel per maria præcipiti nauigatione properantem tempestas, ac procella submerserit: spectat militem suum Christus vbicunque pugnantem, & persecutionis causâ pro nominis sui honore morienti præmium reddit, quod daturum se in persecutione promisit. Nec minor est martyrij gloria, non publicè & inter multos perisse; cùm pereundi causa sit propter Christum perire: sufficit ad testimonium Martyris sui, testis ille qui probat Martyres & coronat.

Imitemur, Fratres dilectissimi, Abel justum, qui initiauit martyria dum propter justitiam primus occiditur. *Gen. 4.* Imitemur Abraham Dei amicum, qui non est cunctatus vt filium *Gen 22.* victimam suis manibus offerret, dum Deo fide deuotionis

obsequitur. Imitemur tres pueros, Ananiam, Azariam, & Misahelem, qui nec ætate territi, nec captiuitate fracti Iudæâ deuictâ & Hierosolymis captis, in ipso regno suo Regem fidei virtute vicerunt, qui adorare statuam, quam Nabuchodonosor Rex fecerat, jussi, & minis Regis & flammis fortiores extiterunt, proclamantes & fidem suam per hæc verba

Dan.3.16. testantes: *Nabuchodonosor Rex non opus est nobis de hoc verbo respondere tibi. Est enim Deus, cui nos seruimus, potens eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, Rex, liberabit nos: & si non; notum sit tibi quia diis tuis non seruimus, & imaginem auream quam statuisti, non adoramus.* Credebant se illi secundum fidem posse euadere, sed addiderunt; *& si non*; vt sciret Rex illos propter Deum, quem colebant, & mori posse. Hoc est enim robur virtutis & fidei, credere & scire, quòd Deus à morte præsente liberare possit, & tamen mortem non timere, nec cedere; vt probari fortiùs fides possit. Erupit per os eorum Spiritus sancti incorruptus & inuictus vigor, vt appareant vera esse quæ in Euangelio suo Dominus dixit:

Mat.10.19. *Cùm autem vos apprehenderint, nolite cogitare quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Dixit, quid loqui & respondere possimus, dari nobis in illa hora diuinitùs & offerri; nec nos tunc esse qui loquimur, sed Spiritum Dei Patris; qui cùm à confitentibus non discedit, neque diuiditur, ipse in nobis & loquitur, & coronatur.

Sic & Daniel cùm compelleretur adorare Idolum Bel, quem tunc populus & Rex colebat, in asserendum Dei sui

Dan.14.4. honorem plena fidei libertate prorupit, dicens: *Nihil colo ego nisi Dominum Deum meum, qui condidit cœlum & terram.* Quid

2.Mac.7. in Machabæis beatorum Martyrum grauia tormenta, & multiformes septem fratrum pœnæ, & confortans liberos suos mater in pœnis, & moriens ipsa quoque cum liberis: nonne magnæ virtutis & fidei documenta testantur, & nos ad martyrij triumphum suis passionibus adhortantur? Quid Pro-

* al. præscientiam. phetæ, quos ad * præsentiam futurorum Spiritus sanctus animauit? Quid Apostoli, quos Dominus elegit? Nonne qui justi occiduntur propter justitiam, mori nos quoque docuerunt? Christi natiuitas à martyriis infantium statim cœpit, vt ob nomen ejus à bimatu & infra qui fuerant, necarentur.

Ætas necdum habilis ad pugnam, idonea extitit ad coronam; vt appareret innocentes esse, qui propter Christum necantur, infantia innocens ob nomen ejus occisa est. Ostensum est neminem esse à periculo persecutionis immunem, quando & tales martyria fecerunt.

Quàm ergo grauis causa sit hominis Christiani, seruum pati nolle, cùm prior passus sit Dominus: & pro peccatis nostris pati nolle, cùm peccatum suum proprium non habens passus sit ille pro nobis? Filius Dei passus est, vt nos filios Dei faceret; & filius hominis pati non vult, vt esse Dei filius perseueret? Si odio seculi laboramus, odium seculi sustinuit prior Christus. Si contumelias in hoc mundo, si fugam, si tormenta toleramus; grauiora expertus est mundi Factor & Dominus, qui & admonet, dicens: *Si seculum*, inquit, *vos odit, mementote quia me priorem vobis odit. Si de seculo essetis, seculum quod suum esset amaret. Sed quia de seculo non estis, & ego elegi vos de seculo, propterea odit vos seculum. Mementote sermonis, quem dixi vobis, non est seruus major Domino suo: si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Dominus & Deus noster quidquid docuit, & fecit, vt discipulus excusatus esse non possit, qui discit & non facit. Neque aliquis ex vobis, Fratres dilectissimi, futuræ persecutionis metu, aut Antichristi imminentis aduentu sic terreatur; vt non Euangelicis exhortationibus & præceptis ac monitis cælestibus ad omnia inueniatur armatus. Venit Antichristus, sed & superuenit Christus. Grassatur & sæuit inimicus, sed statim sequitur Dominus passiones nostras & vulnera vindicaturus. Irascitur aduersarius & minatur, sed est qui possit de ejus manibus liberare. Ille metuendus est, cujus iram nemo poterit euadere, ipso præmonente & dicente: *Ne timueritis eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Magis autem metuite eum qui potest & corpus & animam occidere in gehennam.* Et iterum: *Qui amat animam suam, perdet illam, & qui odit animam suam in isto seculo, in vitam æternam conseruabit illam.* Et in Apocalypsi instruit & præmonet, dicens: *Si quis adorat bestiam & imaginem ejus, & accipit notam in fronte sua & in manu, bibet & ipse de vino iræ Dei mixto in poculo iræ ejus, & punietur igne & sulphure sub oculis sanctorum Angelorum, & sub oculis Agni, & fumus de tormentis eorum ascendet in secula seculorum, nec habebunt requiem die ac*

Ioan. 15. 18. *Mat. 10. 28.* *Ioan. 12. 25* *Apoc. 14. 9.*

nocte, quicunque adorant bestiam & imaginem ejus.

Ad agonem secularem exercentur homines & parantur; & magnam gloriam computant honoris sui, si illis spectante populo, & Imperatore præsente contigerit coronari. Ecce agon sublimis & magnus, & coronæ cælestis præmio gloriosus, vt spectet nos certantes Deus: & super eos, quos filios facere dignatus est, oculos suos pandens, certaminis nostri spectaculo perfruitur. Præliantes nos & fidei congressione pugnantes spectat Deus, spectant Angeli ejus, spectat & Christus. Quanta est gloriæ dignitas, quanta felicitas præsente Deo congredi, & Christo judice coronari? Armemur, FRATRES DILECTISSIMI, viribus totis, & paremur ad agonem mente incorruptâ, fide integrâ, virtute deuotâ. Ad aciem, quæ nobis indicitur, Dei castra procedant. Armentur integri, ne perdat integer quod nuper stetit. Armentur & lapsi, vt & lapsus recipiat quod amisit. Integros honor, lapsos dolor ad prælium prouocet. Armat nos & præparat Apostolus dicens: *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus potestates & principes huius mundi harum tenebrarum, aduersus spiritus nequitiæ in cælestibus. Propter quod induite tota arma Dei vt possitis resistere in die nequissimo: vt cùm omnia perfeceritis, stetis accincti lumbos vestros in veritate, induti loricam justitiæ, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis, assumentes scutum fidei, in quo possitis omnia ignita jacula nequissimi extinguere, & galeam salutis, & gladium Spiritus qui est sermo Dei.* Hæc arma sumamus, his nos tutamentis spiritalibus & cœlestibus muniamus, vt in die nequissimo resistere diaboli minis & repugnare possimus. Induamus loricam justitiæ, vt contra inimici jacula munitum sit pectus & tutum. Calceati sint Euangelico magisterio & armati pedes; vt cùm serpens calcari à nobis & obteri cœperit, mordere & supplantare non possit. Portemus fortiter scutum fidei, quo protegente quidquid jaculatur inimicus, possit extingui. Accipiamus quoque ad tegumentum capitis galeam salutarem, vt muniantur aures, ne audiant edicta feralia: muniantur oculi, ne videant detestanda simulachra: muniatur frons, vt signum Dei incolume seruetur: muniatur os, vt Dominum suum Christum victrix lingua fateatur. Armemus & dexteram gladio spiritali, vt sacrificia funesta fortiter respuat, & Eu-

Eph. 6. 12.

chariſtiæ memor, quæ Domini Corpus accepit, ipſum complectatur, poſtea à Domino ſumptura præmium cœleſtium coronarum.

O dies ille qualis & quantus adueniet, Fratres dilectiſſimi, cùm cœperit populum ſuum Dominus recenſere, & diuinæ cognitionis examine ſingulorum merita recognoſcere, mittere in gehennam nocentes, & perſecutores noſtros flammæ pœnalis perpetuo ardore damnare, nobis verò mercedem fidei & deuotionis exoluere. Quæ erit gloria, & quanta lætitia, admitti vt Deum videas; honorari, vt cum Chriſto Domino Deo tuo ſalutis ac lucis æternæ gaudium capias? Abraham, & Iſaac, & Iacob, & Patriarchas omnes, & Prophetas, & Apoſtolos, & Martyres ſalutare; cum juſtis & Dei amicis in regno cælorum datæ immortalitatis voluptate gaudere; ſumere illic *quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit?* 1. Cor. 2. 9. Majora enim nos accipere, quàm quod hîc aut operamur, aut patimur, Apoſtolus prædicat, dicens: *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad ſuperuenturam claritatem, quæ reuelabitur in nobis.* Rom. 8. 18. Cùm reuelatio illa venerit, cùm claritas ſuper nos Dei fulſerit, tam beati erimus, & læti, dignatione Domini honorati; quàm rei remanebunt, & miſeri, qui Dei deſertores, aut contra Deum rebelles voluntatem fecerunt diaboli, vt eos neceſſe ſit cum ipſo ſimul inextinguibili igne torqueri. Hæc, Fratres dilectiſſimi, hæreant cordibus veſtris: hæc ſit armorum veſtrorum præparatio: hæc diurna ac nocturna meditatio, ante oculos habere, & cogitatione ſemper ac ſenſibus voluere iniquorum ſupplicia, & præmia ac merita juſtorum: quid negantibus Dominus comminetur ad pœnam; quid contrà confitentibus promittat ad gloriam. Si hæc cogitantibus ac meditantibus nobis ſuperuenerit perſecutionis dies; miles Chriſti, præceptis ejus & monitis eruditus, non expaueſcit ad pugnam, ſed paratus eſt ad coronam. Opto vos, Fratres chariſſimi, ſemper bene valere.

L. 3. ep. 25. 77. Pam. 76. Rig.

CYPRIANVS

NEMESIANO, FELICI, LVCIO, alteri FELICI, LITTEO POLIANO, VICTORI, IADERI, DATIVO Coëpiſcopis; Item Compreſbyteris & Diaconibus & cæteris Fratribus in metallo conſtitutis, Martyribus Dei Patris Omnipotentis & IESV-CHRISTI Domini, & Dei Conſeruatoris noſtri, æternam ſalutem.

Miris præconiis efferet Martyres ad metalla damnatos, ſingulis tormentis ſingula ſolatia eleganti opponẽs antitheſi.

V. GLORIA quidem veſtra poſcebat, Beatiſſimi ac dilectiſſimi Fratres, vt ad conſpectum atque ad complexum veſtrum venire ipſe deberem, niſi me quoque ob confeſſionem nominis relegatum præfiniti loci termini coërcerem: ſed quo modo poſſum repræſento me vobis, & ad vos, etiam ſi corpore & greſſu venire non datur, dilectione tamen & ſpiritu venio, exprimens literis animum meum, quo in iſtis virtutibus & laudibus veſtris lætus exulto; participem me computans vobis, etſi non paſſione corporis, conſortio charitatis. An ego poſſim tacere & vocem meam ſilentio premere, cùm de chariſſimis meis tam multa & glorioſa cognoſcam, quibus vos diuina dignatio honorauit: vt ex vobis pars jam martyrij ſui conſummatione præceſſerit, meritorum ſuorum coronam de Domino receptura; pars adhuc in carcerum clauſtris, ſiue in metallis & vinculis demoretur, exhibens per ipſas ſuppliciorum moras corroborandis fratribus & armandis majora documenta; ad meritorum titulos ampliores tormentorum tarditate proficiens, habitura tot mercedes in cæleſtibus præmiis, quot nunc dies numerantur in pœnis? Quæ quidem vobis, fortiſſimi ac beatiſſimi Fratres, pro merito religionis ac fidei veſtræ accidiſſe non miror, vt vos ſic Dominus ad gloriarum ſublime faſtigium clarificationis ſuæ honore prouexerit;

uerit; qui ſemper in Eccleſia ejus cuſtodito fidei tenore viguiſtis, conſeruantes firmiter Dominica mandata; in ſimplicitate innocentiam, in charitate concordiam, modeſtiam in humilitate, diligentiam in adminiſtratione, vigilantiam in adjuuandis laborantibus, miſericordiam in fouendis pauperibus, in defendenda veritate conſtantiam, in diſciplinæ ſeueritate cenſuram.

Ac ne aliquid ad exemplum bonorum factorum deeſſet in vobis, etiam nunc in confeſſione vocis & paſſione corporis fratrum mentes ad diuina martyria prouocatis, duces vos exhibendo virtutis; vt dum grex Paſtores ſuos ſequitur, & quod fieri à Præpoſitis cernit, imitatur, paribus obſequiorum meritis à Domino coronetur. Quod autem fuſtibus cæſi priùs grauiter & afflicti, per ejuſmodi pœnas initiaſtis confeſſionis veſtræ religioſa primordia; execranda nobis iſta res non eſt. Neque enim ad fuſtes Chriſtianum corpus expauit, cujus eſt ſpes omnis in ligno. Sacramentum ſalutis ſuæ Chriſti ſeruus agnouit, redemptus ligno ad vitam æternam, ligno prouectus eſt ad coronam. Quid verò mirum, ſi vaſa aurea & argentea in metallum, id eſt auri & argenti domicilium dati eſtis, niſi quòd nunc metallorum natura conuerſa eſt; locáque, quæ aurum & argentum dare antè conſueuerant, accipere cœperunt? Impoſuerunt quoque compedes pedibus veſtris, & membra felicia ac Dei templa infamibus vinculis ligauerunt; quaſi cum corpore ligetur & ſpiritus, aut aurum veſtrum ferri contagione maculetur. Dicatis Deo hominibus & fidem ſuam religioſâ virtute teſtantibus, ornamenta ſunt iſta, non vincula; nec Chriſtianorum pedes ad infamiam copulant, ſed clarificant ad coronam. O pedes feliciter vincti, qui non à fabro, ſed à Domino reſoluuntur. O pedes feliciter vincti, qui itinere ſalutari ad paradiſum diriguntur. O pedes in ſeculo ad præſens ligati, vt ſint ſemper ad Dominum liberi. O pedes compedibus & tranſuerſariis interim cunctabundi, ſed celeriter ad Chriſtum glorioſo itinere curſuri. Quantum vult hîc vel inuida crudelitas, vel maligna, nexibus vos ſuis & vinculis teneat; citò à terris & pœnis iſtis ad cælorum regna venietis. Non fouetur in metallis lecto & culcitris corpus, ſed refrigerio & ſolatio Chriſti fouetur. Humi jacent feſſa laboribus viſcera; ſed pœna

non eſt cum Chriſto jacere. Squalent ſine balneis membra ſitu & ſorde deformia; ſed ſpiritualiter intus abluitur, quod
Deut. 8. 3. foris carnaliter ſordidatur. Panis illic exiguus; *at non in ſolo*
Luc. 4. 4. *pane viuit homo, ſed in ſermone Dei.* Veſtis algentibus deeſt: ſed qui Chriſtum induit, & veſtitus abundanter & cultus eſt.
1. Cor 11.3 Semitonſi capitis capillus horreſcit: ſed cùm ſit caput viri Chriſtus; qualecunque illud caput deceat neceſſe eſt, quod ob Domini nomen inſigne eſt. Omnis iſta deformitas deteſtabilis & tetra Gentilibus, quali ſplendore penſabitur? Secularis hæc & breuis pœna, quàm clari & æterni honoris mercede mutabitur; cùm ſecundum beati Apoſtoli vocem tranſ-
Phil. 3. 21. formauerit Dominus corpus humilitatis noſtræ conformatum corpori claritatis ſuæ?

Sed nec in illo, Fratres dilectiſſimi, aliqua poteſt aut religionis, aut fidei jactura ſentiri, quòd illic nunc ſacerdotibus Dei facultas non datur offerendi & celebrandi ſacrificia diuina. Celebratis immò atque offertis ſacrificium Deo & pretioſum pariter & glorioſum, & plurimùm vobis ad retributionem præmiorum cæleſtium profuturum; cùm Scriptura
Pſ. 50. 19. diuina loquatur & dicat: *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus; cor contritum & humiliatum Deus non deſpicit.* Hoc vos ſacrificium Deo offertis, hoc ſacrificium ſine intermiſſione die ac nocte celebratis, hoſtiæ facti Deo, & voſmetipſos ſanctas atque immaculatas victimas exhibentes, ſicut Apoſtolus ad-
Rom. 12. 1. hortatur & dicit: *Oro vos, Fratres, per miſericordiam Dei vt conſtituatis corpora veſtra hoſtiam viuam, ſanctam, placentem Deo, nec configuremini ſeculo huic, ſed transformamini in renouatione ſenſus, ad probandum quæ ſit voluntas Dei bona & placens & perfecta.* Hoc eſt enim quod præcipuè Deo placeat: hoc eſt, in quo majoribus meritis ad promerendam voluntatem Dei opera noſtra proueniant: hoc eſt, quod ſolum Domino de beneficiis ejus grandibus & ſalutaribus fidei ac deuotionis noſtræ obſequia retribuant, prædicante in Pſalmis & conte-
Pſ. 115. ſtante Spiritu ſancto: *Quid retribuam*, inquit, *Domino pro omnibus quæ tribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Pretioſa eſt in conſpectu Domini mors juſtorum ejus.* Quis non libenter & promptè calicem ſalutis accipiat? quis non appetat gaudibundus & lætus, in quo aliquid & ipſe Domino ſuo retribuat? quis non pretioſam in conſpectu Domini

mortem fortiter & constanter excipiat; placiturus ejus oculis, qui nos in congressione nominis sui desuper spectans volentes comprobat, adjuuat dimicantes, vincentes coronat, retributione bonitatis ac pietatis paternæ remunerans in nobis quidquid ipse præstitit, & honorans quod ipse perfecit? Ipsius enim esse quòd vincimus, & quòd ad maximi certaminis palmam subacto aduersario peruenimus, declarat & docet Dominus in Euangelio suo, dicens: *Cùm autem vos tradiderint, nolite cogitare quo modo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Et iterum; *Ponite in cordibus vestris non præmeditari excusare. Ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere aduersarij vestri.* In quo quidem & credentium magna fiducia est, & culpa grauissima perfidorum; non credere ei qui se opem suam daturum confitentibus pollicetur, nec rursus eundem timere qui æternam pœnam negantibus comminatur. Quæ vos omnia, fortissimi ac fidelissimi milites Christi, insinuastis fratribus nostris, implentes factis quod verbis antè docuistis; futuri maximi in regno cælorum pollicente Domino & dicente: *Qui fecerit & sic docuerit, maximus vocabitur in regno cælorum.*

Mat. 10. 19 *Luc. 21. 14.* *Matt. 5 19*

Denique exemplum vestrum secuta multiplex plebis portio, confessa est vobiscum pariter, & pariter coronata est; connexa vobis vinculo fortissimæ charitatis, & à Præpositis suis nec carcere, nec metallo separata. Cujus numero nec Virgines desunt, quibus ad sexagenarium fructum centenus accessit, quásque ad cælestem coronam gloria geminata prouexit. In pueris quoque virtus major ætate annos suos confessionis laude transcendit, vt martyrij vestri beatum gregem & sexus & ætas omnis ornaret. Qui nunc vobis, dilectissimi fratres, conscientiæ victricis vigor? quæ sublimitas animi? quæ in sensu exultantia? qui triumphus in pectore? Vnumquemque vestrûm stare ad promissum Dei præmium, de judicij die esse securum; ambulare in metallo, captiuo quidem corpore sed corde regnante; scire Christum secum esse præsentem, gaudentem tolerantiâ seruorum suorum per vestigia & vias suas ad regna æterna gradientium? Expectatis quotidie læti profectionis vestræ salutarem diem, & jam jámque de seculo recessuri ad Martyrum munera & domicilia diuina

Mat. 13. 8

properatis; post has mundi tenebras visuri candidissimam lucem, & accept[illegible]i majorem passionibus omnibus & conflictationibus claritatem, Apostolo contestante & dicente:
Rom. 8,18. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad superuenturam claritatem quæ reuelabitur in nobis.* Planè quia nunc vobis in precibus efficacior sermo est, & ad impetrandum quod in pressuris petitur facilior oratio est: petite impensiùs, & rogate, vt confessionem omnium nostrum dignatio diuina consummet; vt de istis tenebris & laqueis mundi nos quoque vobiscum integros & gloriosos Deus liberet; vt qui hîc charitatis & pacis vinculo copulati, contra hæreticorum injurias & pressuras Gentilium simul stetimus, pariter in regnis cælestibus gaudeamus. Opto vos, BEATISSIMI AC DILECTISSIMI FRATRES, in Domino bene valere, & nostri semper & vbique meminisse. Valete.

L. 4. ep. 3. 81. Pam. & Rig.

CYPRIANVS

SERGIO, ROGATIANO, & cæteris Confessoribus in Domino perpetuam salutem.

Eos in carcere constitutos consolatur; atque exemplo Rogatiani senioris ac Felicissimi Martyris cohortatur.

VI. SALVTO vos, FRATRES CHARISSIMI, optans ipse quoque conspectu vestro frui, si me ad vos peruenire loci conditio permitteret. Quid enim mihi optatius & lætius posset accidere, quàm nunc vobis inhærere vt complecterer manus illas, quæ puræ & innocentes & Dominicam fidem seruantes sacrilega obsequia respuerunt? Quid jucundius & sublimius, quàm osculari nunc ora vestra, quæ gloriosâ voce Dominum confessa sunt? conspici etiam præsentem ab oculis vestris, qui despecto seculo, conspiciendo Deo digni extiterunt? Sed quoniam huic lætitiæ interesse facultas non datur, has pro me ad aures & ad oculos vestros vicarias literas mitto, quibus gratulor pariter & exhortor, vt in confessione cælestis gloriæ fortes & stabiles perseueretis; & ingressi viam Dominicæ

dignationis, ad accipiendam coronam ſpiritali virtute pergatis; habentes Dominum protectorem & ducem, qui dixit: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem mundi.* O beatum carcerem, quem illuſtrauit veſtra præſentia. O beatum carcerem, qui homines Dei mittit ad cælum. O tenebras lucidiores ſole ipſo, & luce hac mundi clariores; vbi modò conſtituta ſunt Dei templa, & ſanctificanda diuinis confeſſionibus membra veſtra. Nec quidquam nunc verſetur in cordibus & mentibus veſtris, quàm diuina præcepta & mandata cæleſtia, quibus vos ad tolerantiam paſſionis Spiritus ſanctus ſemper animauit. Nemo mortem cogitet, ſed immortalitatem; nec temporariam pœnam, ſed gloriam ſempiternam, cùm ſcriptum ſit: *Pretioſa eſt in conſpectu Domini mors juſtorum ejus.* Et iterum: *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicit.* Et iterum vbi loquitur Scriptura diuina de tormentis quæ Martyras Dei conſecrant, & in ipſa paſſionis probatione ſanctificant: *Et ſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes eorum immortalitate plena eſt. Et in paucis vexati, in multis bene diſponentur, quoniam Deus tentauit illos, & inuenit illos dignos ſe. Tanquam aurum in fornace probauit illos, & quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos, & in tempore erit reſpectus illorum. Fulgebunt juſti & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent. Iudicabunt nationes & dominabuntur populis, & regnabit eorum Dominus in perpetuum.*

Mat. 28. 20. · Pſal. 115. · Pſ. 50. 19. · Sap. 3. 4

Quando ergo judicaturos vos & regnaturos cum Chriſto Domino cogitatis, exultetis neceſſe eſt, & futurorum gaudio præſentia ſupplicia calcetis; ſcientes ab initio mundi ſic inſtitutum, vt laboret iſtic in ſeculari conflictatione juſtitia; quando in origine ſtatim prima Abel juſtus occiditur; & exinde juſti quique & Prophetæ & Apoſtoli miſſi. Quibus omnibus Dominus quoque in ſe ipſo conſtituit exemplum, docens ad ſuum regnum nonniſi eos, qui ſe per viam ſuam ſecuti ſint, peruenire, dicens: *Qui amat animam ſuam in iſto ſeculo, perdet illam. Et qui odit animam ſuam in iſto ſeculo, in vitam æternam conſeruabit illam.* Et iterum: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam verò non poſſunt occidere. Magis autem metuite eum qui poteſt & animam & corpus occidere in gehennam.* Paulus etiam nos adhortatur, vt qui ad Domini promiſſa venire cupimus, imitari Dominum in omnibus debeamus. *Sumus*, inquit, *filij*

Gen. 4. · Ioan. 12. 25 · Rom. 8. 17.

Dei; si autem filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: siquidem compatiamur, vt commagnificemur. Addit etiam comparationem præsentis temporis, & futuræ clarita-
Ibid. 18. tis, dicens: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad superuenturam claritatem, quæ reuelabitur in nobis.* Cujus claritatis gloriam cogitantes, pressuras omnes & persecutiones tolerare nos conuenit; quia etsi sunt multæ pressuræ justorum, ex omnibus tamen liberantur, qui in Deum fidunt.

* supp. saluto.

Beatas etiam fœminas*, quæ vobiscum sunt in eadem confessionis gloria constitutæ; quæ Dominicam fidem tenentes, & sexu suo fortiores, non solùm ipsæ ad coronam proximæ sunt, sed & cæteris quoque fœminis exemplum de sua constantia præbuerunt. Ac ne quid deesset ad gloriam numeri vestri, vt omnis vobiscum & sexus & ætas esset in honore, pueros etiam vobis gloriosa confessione sociauit diuina dignatio, repræsentans nobis tale aliquid, quale Ananias, Azarias & Misahel illustres pueri aliquando fecerunt; quibus inclusis in caminum cesserunt ignes, & refrigerij locum flammæ dederunt, præsente cum illis Domino, & probante, quòd in Confessores & Martyras ejus nihil posset gehennæ ardor operari sed quòd qui in Deum crederent, incolumes semper & tuti in omnibus perseuerarent. Et consideretis diligentiùs, peto, pro vestra religione, quæ apud illos pueros fides fuerit, quæ promereri Dominum pleniùs potuit. Ad omnia enim
Dan. 3. 16. parati, (sicut omnes esse debemus) aiunt Regi: *Nabuchodonosor Rex non opus est nobis de hoc verbo respondere tibi. Est enim Deus, cui nos seruimus, potens eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis Rex liberabit nos: & si non: notum tibi sit quoniam Diis tuis non seruimus, & imaginem auream quam statuisti, non adoramus.* Cùm se crederent, & pro fide sua scirent posse de præsenti supplicio liberari, jactare hoc tamen & vindicare sibi noluerunt, dicentes: *Et si non*; ne minor esset confessionis virtus sine testimonio passionis. Addiderunt posse omnia Deum facere, sed tamen non in hoc fidere, vt liberari in præsentia vellent, sed illam libertatis, & securitatis æternæ gloriam cogitarent.

Quam fidem nos quoque retinentes, & die ac nocte meditantes, toto corde ad Deum prompti, contemptu præsentium futura tantummodò cogitemus, fructum regni æterni,

complexum & osculum Domini, conspectum Dei. Vt sequamini in omnibus Rogatianum Presbyterum gloriosum senem, viam vobis ad gloriam temporis nostri religiosâ virtute & diuinâ dignatione facientem, qui cum Felicissimo fratre nostro quieto semper & sobrio excipiens ferocientis populi impetum, primum hospitium vobis in carcere præparauit, & metator quodammodò vester, nunc quoque vos antecedit; quod vt consummetur in vobis, assiduis orationibus Dominum deprecamur, vt initiis ad summa pergentibus, quos confiteri fecit, faciat & coronari. Opto vos, FRATRES CHARISSIMI AC BEATISSIMI, in Domino semper bene valere, & ad coronam cælestis gloriæ peruenire.

CYPRIANVS

L. 1. ep. 6. ed. ant. 7a Pam. 6. Rig.

ROGATIANO Presbytero, & cæteris Confessoribus fratribus salutem.

Exhortatur ad disciplinam obseruandam, ne qui Christũ voce confessi fuerant, operibus abnegare viderentur.

VII. ET jam pridem vobis, Fratres charissimi ac fortissimi, literas miseram, quibus fidei & virtuti vestræ verbis exultantibus congratularer; & nunc non aliud in-primis vox nostra complectitur, quàm vt læto animo frequenter ac semper gloriam vestri nominis prædicemus. Quid enim vel majus in votis meis potest esse, vel melius, quàm cùm video confessionis vestræ honore illuminatum gregem Christi? Nam cùm gaudere in hoc omnes fratres oportet, tum in gaudio communi major est Episcopi portio: Ecclesiæ enim gloria, Præpositi gloria est. Quantùm dolemus ex illis, quos tempestas inimica prostrauit; tantùm lætamur ex vobis, quos diabolus superare non potuit.

Hortamur tamen per communem fidem, per pectoris nostri veram circa vos & simplicem charitatem, vt qui aduersarium primâ hac congressione vicistis, gloriam vestram forti & perseueranti virtute teneatis. Adhuc in seculo sumus,

adhuc in acie constituti; de vita nostra quotidie dimicamus; danda opera est, vt post hæc initia ad incrementa quoque veniatur, & consummetur in vobis, quod jam rudimentis felicibus esse cœpistis. Parum est adipisci aliquid potuisse, plus est quod adeptus es posse seruare: sicut & fides ipsa & natiuitas salutaris non accepta, sed custodita viuificat. Nec statim consecutio, sed consummatio hominem Deo seruat. Ioan 5. 14. Dominus hoc magisterio suo docuit dicens: *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat.* Puta hoc illum & Confessori suo dicere: Ecce Confessor factus es, jam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat. Salomon denique, & Saül, & cæteri multi quandiu in viis Domini ambulauerunt, datam sibi gratiam tenere potuerunt: recedente ab iis disciplina Dominica, recessit & gratia.

Perseuerandum nobis est in arcto & in angusto itinere laudis & gloriæ: & cùm quies & humilitas, & bonorum morum tranquillitas Christianis omnibus congruat, secundùm Domini vocem, qui neminem alium respicit, nisi humilem & Is. 66. 2. quietum, & trementem sermones suos; tum magis hoc obseruare & implere vos Confessores oportet, qui exemplum facti estis cæteris fratribus, ad quorum mores omnium vita & actus debeat prouocari. Nam sicut Iudæi à Deo alienati sunt, propter quos nomen Dei blasphematur in Gentibus: ita contrà Deo chari sunt, per quorum disciplinam nomen Domini laudabili testimonio prædicatur; sicut scriptum est Domino Mat. 5. 16. præmonente & dicente: *Luceat lumen vestrum coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & clarificent Patrem vestrum qui in* Philip. 2. 15. *cælis est.* Et Paulus Apostolus dicit: *Lucete sicut luminaria in* 1. Pet. 2. 11. *mundo.* Et Petrus similiter hortatur: *Sicut hospites*, inquit, *& peregrini abstinete vos à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus* * al. detrectant. *animam, conuersationem habentes inter gentiles bonam, vt dum* detractant de vobis, quasi de malignis, bona opera vestra aspicientes magnificent Dominum.*

Quod quidem maxima pars vestrum cum meo gaudio curat, & confessionis ipsius honore melior facta, tranquillis & bonis moribus gloriam suam custodit & seruat; sed quosdam audio inficere numerum vestrum, & laudem præcipui nominis prauâ suâ conuersatione destruere: quos etiam vos ipsi, vtpote amatores & conseruatores laudis vestræ, objurgare

gare & comprimere & emendare debetis. Cum quanto enim nominis vestri pudore delinquitur, quando alius ab aquis temulentus & lasciuiens demoratur: alius in eam patriam, vnde extorris factus est, regreditur, vt deprehensus non jam quasi Christianus, sed quasi nocens pereat? Inflari aliquos, & tumere audio; cùm scriptum sit: *Noli altum sapere, sed time.* Si enim Deus naturalibus ramis non pepèrcit, ne fortè nec tibi parcat. Dominus noster *sicut ouis ad victimam ductus est, & sicut agnus coram tondente sine voce, sic non aperuit os suum.* Non sum, inquit, contumax, neque contradico. *Dorsum meum posui ad flagella & maxillas meas ad palmas.* Faciem autem meam non auerti à fœditate sputorum. Et quisquam per ipsum nunc atque in ipso viuens, extollere se audet & superbire, immemor & factorum quæ ille gessit, & mandatorum quæ nobis vel per se, vel per Apostolos suos tradidit? Quòd si non est major Domino suo seruus; qui Dominum sequuntur, humiles & quieti, & taciturni vestigia ejus imitentur. Quantò quisquis inferior fuerit, sublimior fiat, dicente Domino: *Qui minimus fuerit in vobis, hic erit magnus.*

Rom. 11. 20. Isa. 53. 7. Isa. 50. 6. Ioan. 13. 16 & 15. 20. Luc. 22. 26.

Quid deinde illud? quàm vobis execrandum debet videri, quod cum summo animi nostri gemitu & dolore cognouimus? Non deesse, qui Dei templa, & post confessionem sanctificata; & illustrata priùs membra, turpi & infami concubitu suo plùs maculent, cubilia sua cum fœminis promiscua jungentes; quando & si stuprum conscientiæ eorum desit, hoc ipso grande crimen est, quòd illorum scandalo in aliorum ruinas exempla nascuntur. Contentiones quoque & æmulationes inter vos nullas esse oportet, cùm pacem suam nobis dimiserit Dominus, & scriptum sit: *Diliges proximum tuum tanquam te. Si autem mordetis & incusatis inuicem, videte ne consumamini ab inuicem.* A conuicijs etiam & maledictis, quæso, vos abstinete: quia neque maledici regnum Dei consequuntur; & lingua, quæ Christum confessa est, incolumis & pura cum suo honore seruanda est. Nam qui pacifica, & bona, & justa secundum præceptum Christi loquitur, Christum quotidie confitetur. Seculo renunciaueramus cùm baptizati sumus; sed nunc verè renunciaui mus seculo, quando tentati, & probati à Deo, nostra omnia relinquentes, Dominum secuti sumus & fide ac timore ejus stamus & viuimus.

Marc 12. 31 Gal. 5. 15.

Corroboremus nos exhortationibus mutuis, & magis ac magis proficiamus in Domino; vt cùm pro sua misericordia pacem fecerit, quam se facturum repromittit, noui & penè mutati ad Ecclesiam reuertamur, & excipiant nos siue fratres nostri, siue gentiles, circa omnia correctos, atque in melius reformatos; & qui admirati fuerant priùs in virtutibus gloriam, nunc admirentur in moribus disciplinam. Opto vos, FRATRES CHARISSIMI, semper bene valere.

L. 2. ep. 4. 8 Pam. 7. Rig.

CYPRIANVS

Presbyteris & Diaconibus fratribus salutem.

Ad preces exhortatur assiduas.

VIII. QVANQVAM sciam, FRATRES CHARISSIMI, pro timore, quem singuli debemus Deo, vos quoque illic assiduis orationibus & enixis precibus instanter incumbere; admoneo tamen & ipse religiosam solicitudinem vestram, vt ad placandum atque exorandum Dominum non voce solâ, sed & jejuniis, & lacrymis, & omni genere deprecationis ingemiscamus. Intelligendum est enim & confitendum, pressuræ istius tam turbidam vastitatem, quæ gregem nostrum maxima ex parte populata est, & adhuc vsque populatur, secundum peccata nostra venisse; dum viam Domini non tenemus, nec data nobis ad salutem cælestia mandata seruamus. Fecit Dominus noster voluntatem Patris; & nos non facimus Domini voluntatem; patrimonio & lucro studentes, superbiam sectantes, æmulationi & dissensioni vacantes, simplicitatis & fidei negligentes, seculo verbis solis & non factis renunciantes, vnusquisque sibi placentes, & omnibus displicentes. Vapulamus itaque vt meremur, cùm scriptum sit: *Seruus autem ille qui cognoscit voluntatem Domini sui, & non paruerit voluntati ejus, vapulabit multis.* Quas autem plagas, quæ verbera non meremur; quando nec Confessores, qui exemplo cæteris ad bonos mores esse debuerant, teneant

Luc 12.47.

disciplinam? Itaque dum quosdam insolenter extollit confessionis suæ tumida & inuerecunda jactatio; tormenta venerunt, & tormenta sine fine tortoris, sine exitu damnationis, sine solatio mortis; tormenta quæ ad coronam non facilè dimittant, sed tandiu torqueant, quandiu dejiciant; nisi si aliquis diuinâ dignatione subtractus inter ipsa cruciamenta profecerit, adeptus gloriam non termino supplicij, sed velocitate moriendi. Hæc patimur delicto & merito nostro, sicut præmonuit diuina censura, dicens: *Si dereliquerint legem meam & in judiciis meis non ambulauerint; si justificationes meas profanauerint, & præcepta mea non obseruauerint; visitabo in virga facinora eorum, & in flagellis delicta eorum.* Virgas igitur & flagella sentimus, qui Deo nec bonis factis placemus, nec pro peccatis satisfacimus. *Psa. 88 31.*

Rogemus de intimo corde & de tota mente misericordiam Dei, quia & ipse addidit dicens: *Misericordiam autem meam non dispergam ab eis.* Petamus & accipiemus: & si accipiendi mora & tarditas fuerit, quoniam grauiter offendimus, pulsemus; quia & pulsanti aperietur, si modò pulsent ostium preces, & gemitus, & lacrymæ nostræ, quibus insistere & immorari oportet, & si sit vnanimis oratio. Nam quod magis suasit & compulit, vt has ad vos literas sciberem, scire debetis (sicut Dominus ostendere & reuelare dignatus est) dictum esse in visione: Petite & impetrabitis: tunc deinde præceptum plebi assistenti, vt pro quibusdam personis designatis sibi peterent: In petendo autem fuisse dissonas voces, & dispares voluntates: & vehementer hoc displicuisse illi, qui dixerat: Petite & impetrabitis, quòd plebis inæqualitas discreparet, nec esset fratrum consensio vna & simplex & juncta concordia; cùm scriptum sit: *Deus qui inhabitare facit vnanimes in domo*; Et in Actis Apostolorum legamus: *Turba autem eorum qui crediderant, animâ, ac mente vnâ agebant*; & Dominus suâ voce mandauerit, dicens: *Hoc est mandatum meum, vt diligatis inuicem.* Et iterum: *Dico autem vobis, quoniam si duo ex vobis conueneritis in terra, de omni re quamcunque petieritis, continget vobis à Patre meo qui in cælis est.* *Ibid. 34.* *Psal. 67. 7.* *Act. 4. 32.* *Ioan. 15. 12.* *Mat. 18. 19.*

Quod si duo vnanimes tantum possunt, quid si vnanimitas apud omnes esset? Quid si secundùm pacem, quam nobis Dominus dedit, vniuersis fratrbus conueniret? Iampridem

de diuina misericordia impetrassemus quod petimus, nec tandiu in hoc salut.s & fidei nostræ periculo fluctuaremus. Immò verò nec venissent fratribus hæc mala, si in vnum fraternitas fuisset animata. Nam & illud ostensum est, quod sederet pater-familias sedente sibi ad dexteram juuene, qui juuenis anxius & cum quadam indignatione subtristis, maxillam manu sustinens, mœsto vultu sedebat. Alius verò in sinistra parte consistens rete portabat, quod se mittere, vt circunstantem populum caperet, minabatur: & cùm miraretur quid hoc esset, ille qui vidit, dictum est ei: Iuuenem qui ad dexteram sic sederet, contristari ac dolere quòd præcepta sua non obseruarentur: illum verò in sinistra exultare, quòd sibi daretur occasio vt à patre familias potestatem sumeret sæuiendi. Hoc priùs longè ostensum est, quàm tempestas vastitatis hujus oriretur. Et vidimus impletum quod fuerat ostensum; vt dum Domini præcepta contemnimus, dum datæ legis mandata salutaria non tenemus, facultatem nocendi inimicus acciperet; minùs armatos & ad repugnandum minùs cautos jactu retis operiret.

Oremus instanter, & assiduis precibus ingemiscamus. Nam
* *al.* jam. & hoc nobis non * olim per visionem, Fratres charissimi, exprobratum sciatis, quòd dormitemus in precibus, nec vigilanter oremus; & Deus vtique, qui quem corripit diligit,
Cur Deus nos corripit. quando corripit, ad hoc corripit vt emendet, ad hoc emendat vt seruet. Excutiamus itaque & abrumpamus somni vincula, & instanter ac vigilanter oremus: sicut Paulus Apostolus
Coloss. 4. 2. præcipit dicens: *Instate orationi, vigilantes in ea.* Nam & Apostoli orare diebus ac noctibus non destiterunt, & Dominus quoque ipse disciplinæ magister, & exempli nostri via, frequenter & vigilanter orauit, sicut in Euangelio legimus:
Luc 6. 12. *Exiit in montem orare.* Et, *Fuit pernoctans in oratione Dei*; & vtique quod orabat, orabat ille pro nobis, cùm peccator ipse non esset, sed aliena peccata portaret. Adeò autem pro no-
Luc. 22 31. bis ille deprecabatur, vt legamus alio loco: *Dixit autem Dominus ad Petrum: Ecce sathanas postulauit vt vos vexaret quo modo triticum; ego autem rogaui pro te, ne deficiat fides tua.* Quòd si pro nobis ac pro delictis nostris ille & laborabat, & vigilabat, & precabatur; quantò nos magis insistere precibus & orare & primò ipsum Dominum rogare, tum deinde per ipsum Deo

Patri satisfacere debemus? Habemus aduocatum & deprecatorem pro peccatis nostris IESVM CHRISTVM Dominum & Deum nostrum, si modò nos in præteritum peccasse pœniteat; & confitentes atque intelligentes delicta nostra, quibus nunc Dominum offendimus, vel de cætero nos ambulare in viis ejus, & præcepta ejus metuere spondeamus. Pariter nos & corrigit & tuetur, stantes tamen in fide & pressuris atque angustiis, & Christo ejus firmiter adhærentes, sicut scriptum est: *Quis nos separabit à dilectione Christi? pressura, an angustia,* Rom. 8. 35. *an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius?* Nihil horum potest separare credentes, nihil potest auellere corpori ejus & sanguini cohærentes. Persecutio ista examinatio est atque exploratio pectoris nostri: excuti nos Deus voluit & probari sicut suos semper probauit: nec tamen in probationibus ejus aliquando auxilium credentibus defuit. Denique ad minimum famulum suum, & in delictis licet plurimis constitutum, & dignatione ejus indignum: tamen ille pro sua circa nos bonitate mandare dignatus est: Dic illi, inquit, securus sit, quia pax ventura est. Sed quòd interim morula est, supersunt adhuc aliqui qui probentur. Sed & de victu parco & sobrio potu, diuinis dignationibus admonemur; scilicet ne vigore cælesti sublime jam pectus illecebra secularis eneruet, vel ne largioribus epulis mens grauata minùs ad preces orationis euigilet.

Dissimulare hæc singula & apud conscientiam meam solus occultare non debui, quibus vnusquisque nostrûm & instrui & regi possit. Nec ipsi vtique apud vos hanc Epistolam teneatis occultam, sed legendam fratribus suggeratis. Intercipere enim quibus nos Dominus admonere & instruere dignatur, ejus est qui admoneri & instrui fratrem suum nolit. Probari nos à Domino nostro sciant; nec vnquam à fide, quâ in eum semel credidimus, præsentis pressuræ conflictatione deficiant. Delicta sua singuli recognoscentes; vel modò conuersationem veteris hominis exponant. Nemo enim retro attendens, & superponens manum suam super aratrum, aptus est regno Dei. Denique & vxor Lot, quæ liberata contra præceptum retro respexit, quod euaserat perdidit. Attendamus non posteriora, quò diabolus reuocat, sed priora, quò Christus vocat. Oculos erigamus ad cælum, ne oblectamentis & ille-

cebris nos ſuis terra decipiat. Vnuſquiſque oret Deum non pro ſe tantùm, ſed pro omnibus fratribus; ſicut Dominus orare nos docuit; vbi non ſingulis priuatam precem mandauit, ſed oratione communi & concordi prece pro omnibus juſſit orare. Si nos Dominus humiles & quietos, ſi nobis inuicem copulatos, ſi circa iram ſuam timidos, ſi præſenti tribulatione correctos emendatóſque conſpexerit; tutos ab inimici infeſtationibus exhibebit. Præceſſit diſciplina, ſequetur & venia. Nos tantùm ſine ceſſatione poſcendi, & cum fide accipiendi ſimplices & vnanimes Dominum deprecemur, cum gemitu pariter & fletu deprecantes, ſicut deprecari oportet eos, qui ſint poſiti inter plangentium ruinas, & timentium reliquias, inter numeroſam languentium ſtragem, & exiguam ſtantium firmitatem.* Rogemus pacem maturiùs reddi, citò latebris noſtris & periculis ſubueniri, impleri quæ famulis ſuis Dominus dignatur oſtendere, redintegrationem Eccleſiæ ſuæ, ſecuritatem ſalutis noſtræ, poſt pluuias ſerenitatem, poſt tenebras lucem, poſt procellas & turbines placidam lenitatem. Pia paternæ dilectionis auxilia, diuinæ Majeſtatis ſolita magnalia, quibus & perſequentium blaſphemia retundatur, & lapſorum pœnitentia reformetur, & fortis & ſtabilis perſeuerantium fiducia glorietur. Opto vos, FRATRES CHARISSIMI, ſemper benè valere.

* al. paucitatem.

L. 4. ep. 5. 25. Pam. 24. Rig.

CYPRIANVS

MOYSI ET MAXIMO Preſbyteris, & cæteris Confeſſoribus dilectiſſimis fratribus ſalutem.

Confeſſionem eorū, & in ſeueritate Euangelica firmitatem laudat.

IX. GLORIAM fidei & virtutis veſtræ, FORTISSIMI AC BEATISSIMI FRATRES, jam pridem de opinione cognoueram, lætatus ſatis & plurimùm gratulatus; quòd vos confeſſione ſui nominis parauerit ad coronam Domini noſtri præcipua dignatio. Vos enim primores & duces ad noſtri temporis prælium fa-

cti, cælestis militiæ signa mouistis. Vos spiritale certamen, quod nunc geri Deus voluit, vestris virtutibus imbuistis. Vos surgentis belli impetus primos immobili robore atque inconcussà stabilitate fregistis. Inde initia felicia pugnandi orta sunt. Inde vincendi auspicia cœperunt. Contingit hîc per tormenta consummari martyria; sed qui in congressione præcedens, exemplum virtutis fratribus factus est, cum Martyribus in honore communis est. Coronas vestrâ manu sertas inde huc tradidistis, & de poculo salutari fratribus propinastis. Accessit ad confessionis exordia gloriosa, & militiæ victricis auspicia disciplinæ tenor, quem de Epistolæ vestræ vigore perspeximus, quam modò ad collegas vestros in confessione vobiscum Domino copulatos, solicitâ admonitione misistis; vt Euangelij sancta præcepta, & tradita nobis semel mandata vitalia, forti & stabili obseruatione teneantur.

Ecce alius gloriæ vestræ sublimis gradus, ecce iterum cum confessione geminatus promerendi Dei titulus: stare firmo gradu; & in hac acie, qui Euangelium conantur irrumpere, & præceptis Domini subruendis manus impias inferentes, fidei robore submouere; præbuisse antè initia virtutum, nunc & morum magisteria præbere. Dominus post resurrectionem mittens Apostolos mandat, & dicit: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Ite ergo & docete* Mat. 28.19 *gentes omnes, tingentes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus-sancti, docentes eos obseruare omnia quæcunque præcepi vobis.* Et Ioannes Apostolus mandati memor in Epistola sua postmodum ponit: *In hoc*, inquit, *intelligimus quia cognouimus eum, si* 1. Ioan 2. *præcepta ejus custodiamus: Qui dicit quoniam cognouit eum, & mandata ejus non seruat, mendax est, & veritas in illo non est.* Hæc præcepta cùm custodienda suggeritis, diuina & cælestia mandata seruatis. Hoc est esse Confessorem Domini, hoc est esse Martyrem Christi, seruare vocis suæ inuiolatam circa omnia & solidam firmitatem; nec propter Dominum Martyrem fieri & præcepta Domini destruere conari; vti aduersus illum dignatione, quam tibi dederit; armis ab illo acceptis rebellem quodammodo fieri, hoc est, Christum confiteri velle, & Euangelium Christi negare. Lætor igitur ex vobis, fortissimi ac fidelissimi Fratres; & quantùm gratulor Martyribus istic honoratis ob virium gloriam, tantùm gratulor

pariter & vobis ob Dominicæ etiam disciplinæ coronam. Dignationem suam Dominus multiplici genere largitatis infudit, bonorum militum laudes, & glorias spiritales copiosâ varietate distribuit; honoris vestri participes & nos sumus, gloriam vestram nostram gloriam computamus, quorum tempora illustrauit tanta felicitas, vt ætate nostrâ videre contingeret probatos seruos Dei, & Christi milites coronatos. Opto vos, fortissimi ac beatissimi Fratres, semper bene valere, & nostri meminisse.

L. 5. ep. 12. 26. Pam. 25. Rig.

CYPRIANO Papæ

MOYSES & MAXIMVS Presbyteri, & NICOSTRATVS, & RVFINVS Diaconi, & cæteri Confessores, qui cum eis sunt, salutem.

X

Gratias rependunt pro literis exhortatoriis; & quã sint forti animo parati ad patienda quæque tormẽta, significant.

INTER varios & multiplices, FRATER, dolores nobis constitutis propter præsentes multorum per totum penè orbem ruinas, hoc præcipuum nobis solatium superuenit; quòd acceptis literis tuis erecti sumus, & dolentis animi mœroribus fomenta suscepimus. Vnde intelligere jam possumus gratiam diuinæ prouidentiæ, forsitan non ob aliam causam nos tam diu clausos vinculis carceris reseruare voluisse; nisi vt instructi & robustiùs animati literis tuis, voto proniore ad coronam destinatam possemus peruenire. Illuxerunt enim nobis literæ tuæ, vt in tempestate quadam serenitas, & in turbido mari exoptata tranquillitas, & in laboribus requies; vt in periculis & doloribus sanitas; vt in densissimis tenebris candida lux & refulgens. Ita illas animo sitiente perbibimus & voto esuriente suscepimus; vt ad certamen inimici, ex illis nos satis pastos & saginatos gaudeamus. Reddet tibi Dominus pro ista tua charitate mercedem, & hujus tam boni operis repræsentabit debitam frugem. Non minùs enim coronæ mercede condignus

gnus eſt, qui hortatus eſt, quàm qui & paſſus eſt: non minùs laude condignus, qui docuit, quàm qui & fecit; non minùs honorandus eſt, qui monuit, quàm qui dimicauit; niſi quoniam nonnunquam magis gloriæ cumulus redundat ad eum, qui inſtituit, quàm ad eum, qui ſe docibilem diſcipulum ſubminiſtrauit: hic enim fortaſſis hoc, quod exercuit, non habuiſſet, niſi ille docuiſſet.

Percepimus igitur (iterum dicimus) FRATER CYPRIANE, magna gaudia, magna ſolatia, magna fomenta, maximè quòd & glorioſas Martyrum non dicam mortes, ſed immortalitates, glorioſis & condignis laudibus proſequutus es: tales enim exceſſus talibus vocibus perſonandi fuerunt; vt quæ referebantur, ſic dicerentur, qualiter facta ſunt. Ex tuis ergo literis vidimus glorioſos illos Martyrum triumphos, & oculis noſtris quodammodo cælum illos petentes proſecuti ſumus; & inter Angelos ac Poteſtates, Dominationeſque cæleſtes conſtitutos contemplati ſumus: ſed & Dominum apud Patrem teſtimonium ſuum illis promiſſum perhibentem auribus noſtris quodammodo ſenſimus. Hoc eſt ergo quod & nobis animum in dies ſingulos erigit, & ad conſequendos gradus tantæ dignationis intendit. Quid enim glorioſius, quidue fęlicius vlli hominum poterit ex diuina dignatione contingere, quàm inter ipſos carnifices interritum, confiteri Dominum Deum? quàm inter ſæuientia ſecularis poteſtatis varia & exquiſita tormenta, etiam extorto & excruciato & excarnificato corpore Chriſtum Dei Filium, etſi recedente, ſed tamen libero ſpiritu, confiteri? quàm relicto mundo cælum petiſſe? quàm deſertis hominibus inter Angelos ſtare? quàm impedimentis omnibus ſecularibus ruptis in conſpectu Dei iam ſe liberum ſiſtere? quàm cæleſte regnum ſine vlla cunctatione retinere? quàm collegam paſſionis cum Chriſto in Chriſti nomine factum fuiſſe? quàm judicis ſui diuinâ dignatione judicem factum fuiſſe? quàm immaculatam conſcientiam de confeſſione nominis reportaſſe? quàm humanis & ſacrilegis legibus contra fidem non obediſſe, quàm veritatem voce publicâ conteſtatum fuiſſe? quàm ipſam, quæ ab omnibus metuatur, moriendo mortem ſubegiſſe? quàm per ipſam mortem immortalitatem conſecutum fuiſſe? quàm omnibus ſæuitiæ inſtrumentis excarnificatum & extortum,

ipſis tormentis tormenta ſuperaſſe? quàm omnibus dilaniati corporis doloribus robore animi reluctatum fuiſſe? quàm ſanguinem ſuum profluentem non horruiſſe? quàm ſupplicia ſua poſt fidem amare cœpiſſe? quàm detrimentum vitæ ſuæ putare non exiſſe?

Ad hoc enim prælium quaſi quadam tubâ Euangelij ſui
Mat. 10.37 nos excitat Dominus, dicendo: *Qui plùs diligit patrem aut matrem, quàm me, non eſt me dignus*: &: *qui non tollit crucem ſuam*
Matt. 5.10 *& ſequitur me, non eſt me dignus.* Et iterum: *Beati qui perſecutionem paſſi fuerint propter juſtitiam; ipſorum enim eſt regnum cælorum. Beati eritis cùm vos perſecuti fuerint & oderint: gaudete, & exultate; ſic enim & Prophetas perſecuti ſunt; qui ante vos fue-*
[a] Mat. 10.18 *runt, patres eorum.* Et iterum: [a] *Quoniam ante Reges & poteſta-*
[b] Ibid. 21. *tes ſtabitis*; &: [b] *Tradet frater fratrem ad mortem, & pater fi-*
[c] Ibid. 22. *lium*; &: [c] *Qui perſeuerauerit vſque ad finem, hic ſaluus erit.* Et:
[d] Apoc. 3.21 [d] *Vincenti dabo ſedere ſuper thronum meum, ſicut & ego vici, &*
[e] Rom. 8.35. *ſedi ſuper thronum Patris mei.* Sed & Apoſtolus: [e] *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? preſſura, an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius?* Sicut *ſcriptum eſt; quia propter te interficimur totâ die, æſtimati ſumus velut oues victimæ, ſed in iis omnibus ſuperuicimus pro eo, qui nos dilexit.* Hæc, & hujuſmodi cũ in Euangelio collata perlegimus, & quaſi faces quaſdam ad inflammandam fidem, Dominicis vocibus, ſuppoſitas nobis ſentiamus; hoſtes veritatis jam non tantùm non perhorreſcimus, ſed prouocamus; & inimicos Dei jam hoc ipſo, quòd non ceſſimus, vicimus: & nefarias contra veritatem leges ſubegimus; & ſi nondum noſtrum ſanguinem fudimus, ſed fudiſſe parati ſumus. Nemo hanc dilationis noſtræ moram clementiam judicet, quæ nobis officit, quæ impedimentum gloriæ facit, quæ cælum differt, quæ glorioſum Dei conſpectum inhibet. In hujuſmodi enim certamine, & in hujuſmodi, vbi decertat fides, prælio, morâ Martyres non diſtuliſſe, vera clementia eſt. Pete ergo, CYPRIANE CHARISSIME, vt nos gratiâ ſuâ Dominus magis ac magis in dies ſingulos quoſque vberiùs, atque propenſiùs & armet, & illuſtret; & viribus potentiæ firmet, ac roboret: vtque quaſi optimus Imperator milites ſuos, quos vſque adhuc in caſtris carceris exercuit & probauit, producat jam ad propoſiti certaminis cam-
Eph. 6.16. pum: porrigat nobis arma diuina, illa tela, quæ neſciunt

vinci; loricam justitiæ, quæ numquam solet rumpi; clypeum fidei, qui non potest perforari; & gladium spiritus, qui non consueuit vulnerari. Cui enim magis hæc, vt pro nobis petat, mandare debemus, quàm tam glorioso Episcopo, vt hostiæ destinati petant auxilium de Sacerdote.

Ecce aliud gaudium nostrum, quòd in officio Episcopatus tui, licet interim à fratribus pro temporis conditione distractus es, tamen non defuisti: quòd literis Confessores frequenter corroborasti; quòd etiam sumptus necessarios de tuis laboribus justis præbuisti; quòd omnibus te præsentem quodammodo exhibuisti: quòd in nulla officij tui parte quasi aliquis desertor claudicasti. Sed quod nos ad majorem lætitiam robustiùs prouocauit, tacere non possumus, quin omni vocis nostræ testimonio prosequamur. Animaduertimus enim, te congruente censura, & eos dignè objurgasse, qui immemores delictorum suorum pacem à Presbyteris per absentiam tuam festinata & præcipiti cupiditate extorsissent; & illos qui sine respectu Euangelij sanctum Domini canibus, *Mat. 7. 6.* & margaritas porcis profanâ facilitate donassent; cùm grande delictum, & per totum penè orbem incredibili vastatione grassatum, non oporteat nisi, vt ipse scribis, cautè moderatéque tractari; consultis omnibus Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, Confessoribus, & ipsis stantibus Laïcis, vt in tuis literis & ipse testaris; ne dum volumus importunè ruinis subuenire, alias majores ruinas videamur parare. Vbi enim diuinus * sermo relinquitur; si tam facilè peccantibus venia ** al. metus.* prætletur? & fouendi sunt sanè ipsorum animi, & ad maturitatis suæ tempus nutriendi; & de scripturis sanctis quàm ingens, & supra omnia peccatum commiserint, instruendi. Nec hoc animentur, quia multi sunt; sed hoc ipso magis reprimantur, quia non pauci sunt. Nihil ad extenuationem delicti numerus impudens valere consueuit, sed pudor, sed modestia, sed patientia, sed disciplina, sed humilitas, atque subjectio; sed alienum de se expectasse judicium, sed alienam de suo actu sustinuisse sententiam. Hoc est, quod pœnitentiam probat; hoc est, quod impresso vulneri inducit cicatricem; hoc est, quod dejectæ mentis ruinas erigit & attollit; quod ardentem delictorum æstuantium vaporem restinguit & finit. Non ea, quæ sanorum sunt corporum, medicus

ægris dabit: ne importunis cibis tempeſtatem valetudinis ſæuientis non reprimat, ſed accendat: ſcilicet, ne quod potuiſſet maturiùs jejunio extenuari, per impatientiam longiùs paſta cruditate producat.

Eluendæ ſunt igitur impio ſacrificio manus inquinatæ, operibus bonis; & nefario cibo ora miſera polluta, pœnitentiæ ſunt veræ ſermonibus expianda, & in ſecretis cordis fidelis nouellandus, & conſecrandus eſt animus: crebri pœnitentium gemitus audiantur; & iterum fideles ex oculis lacrymæ profundantur: vt illi ipſi oculi, qui malè ſimulachra conſpexerunt, quæ inlicita commiſerant, ſatisfacientibus Deo fletibus deleant. Non eſt niſi patientia morbis neceſſaria; luctantur cum ſuo dolore qui languent; & ita demum ſperant ſanitatem, ſi tolerantiâ ſuperauerint dolorem. Infidelis enim cicatrix, quam citò feſtinans medicus induxit: & ad quemlibet caſum medela reſcinditur; ſi non fideliter de ipſa tarditate remedia præſtentur. Citò rurſus in incendium flamma reuocatur, niſi totius ignis etiam vſque ad extremam ſcintillam materia reſtinguatur; vt meritò hujuſmodi homines ſciant ſibi etiam de ipſa mora magis conſuli, & fideliora neceſſariis dilationibus remedia præſtari. Cæterùm vbi erit quòd cuſtodiâ ſqualidi carceris includuntur, qui Chriſtum confitentur; ſi ſine periculo fidei ſunt, qui negauerunt? vbi quòd in nomine Dei catenarum ambitu vinciuntur, ſi ſine communicatione non ſunt, qui confeſſionem Dei non retinuerunt? vbi quòd detenti Martyres glorioſas animas ſuas ponunt; ſi, qui dereliquerunt fidem, periculorum & delictorum ſuorum non ſentiunt magnitudinem? Quòd ſi nimiam impatientiam præ ſe ferunt, & intolerabili feſtinatione communicationem expoſcunt; fruſtra querula iſta, & inuidioſa, ac nihil aduerſus veritatem valentia jactant petulanti, & infræni ore conuicia: quando quidem licuerit illis ſuo jure retinere, quod nunc ſua ſponte quæſita neceſſitate coguntur poſtulare: fides enim quæ potuit Chriſtum confiteri, potuit & à Chriſto in communicatione retineri. Optamus te, FRATER, bene valere, & noſtri meminiſſe.

CYPRIANO Papæ Presbyteri & Diaconi Romæ consistentes salutem. L. 2. ep. 7. 31. Pam. 30. Rig.

XI. QVANQVAM bene sibi conscius animus, & Euangelicæ disciplinæ vigore subnixus, & verus sibi in decretis cælestibus testis effectus soleat solo Deo judice esse contentus, nec alterius aut laudes petere, aut accusationes pertimescere: tamen geminata sunt laude condigni, qui cùm conscientiam sciant Deo soli debere se judici, actus tamen suos desiderant etiam ab ipsis suis fratribus comprobari. Quod te, FRATER CYPRIANE, facere non mirum est, qui pro tua verecundia & ingenita industria, consiliorum tuorum nos non tam judices voluisti, quàm participes inueniri; vt in tuis rebus gestis laudem tecum, dum illas probamus, inueniremus; & tuorum consiliorum bonorum coheredes, quia & affirmatores esse possimus. Idem enim omnes credimur operati, in quo deprehendimur eâdem omnes censuræ & disciplinæ consensione sociati. Quid enim magis aut in pace tam aptum aut in bellis persecutionis tam necessarium, quàm debitam seueritatem diuini vigoris tenere? quam qui remiserit, instabili rerum cursu erret semper necesse est, & huc atque illuc variis & incertis negotiorum tempestatibus dissipetur, & quasi extorto de manibus consiliorum gubernaculo, nauim Ecclesiasticæ salutis illidat in scopulos, vt appareat non aliter saluti Ecclesiasticæ consuli posse, nisi si qui & contra ipsam faciunt, quasi quidam aduersi fluctus repellantur, & disciplinæ ipsius semper custodita ratio, quasi salutare aliquod gubernaculum in tempestate seruetur. Nec hoc nobis nunc nuper consilium cogitatum est, nec hæc apud nos aduersus improbos modò superuenerunt repentina subsidia, sed antiqua hæc apud nos seueritas, antiqua fides, disciplina legitur antiqua: quoniam nec tantas de nobis laudes Apostolus protulisset dicendo: *Quia fides vestra prædicatur in toto mundo*, nisi jam exinde vigor iste radices fidei de temporibus illis mutuatus fuisset; quarum Rom. 1. 8.

Gratias agunt Cypriano pro literis ad Martyres datis: deindè lapsi quomodò tractandi subjiciunt.

laudum & gloriæ degenerem fuiſſe, maximum crimen eſt. Minùs eſt enim dedecoris nunquam ad præconium laudis acceſſiſſe, quàm de faſtigio laudis ruiſſe. Minùs eſt criminis honoratum bono teſtimonio non fuiſſe, quàm honorem bonorum teſtimoniorum perdidiſſe. Minùs eſt, ſine prædicatione virtutum ignobilem ſine laude jacuiſſe, quàm exheredem fidei factum laudes proprias perdidiſſe: ea enim quæ in alicujus gloriam proferuntur, niſi anxio & ſolicito labore ſeruentur, in inuidiam maximi criminis intumeſcunt.

Hoc nos non falsò dicere ſuperiores noſtræ literæ probauerunt, in quibus vobis ſententiam noſtram dilucidâ expoſitione protulimus, aduerſus eos, qui ſeipſos infideles illicitâ nefariorum libellorum profeſſione prodiderant, quaſi euaſuri irretientes illos diaboli laqueos viderentur, quo non minùs quàm ſi ad nefarias aras acceſſiſſent, hoc ipſo quod ipſum conteſtati fuerant, tenerentur. Sed etiam aduerſus illos qui acta feciſſent, licet præſentes cùm fierent non affuiſſent, cùm præſentiam ſuam vtique vt ſic ſcriberentur mandando feciſſent. Non eſt enim immunis à ſcelere, qui vt fieret imperauit, nec eſt alienus à crimine, cujus conſenſu, licet non à ſe admiſſum crimen, tamen publicè legitur; & cùm totum fidei ſacramentum in confeſſione Chriſti nominis intelligatur eſſe digeſtum; qui fallaces in excuſatione præſtigias quærit, negauit, & qui vult videri propoſitis aduerſus Euangelium vel edictis vel legibus ſatisfeciſſe, hoc ipſo jam paruit, quod videri paruiſſe ſe voluit. Necnon etiam contra illos quoque qui illicitis ſacrificiis manus ſuas atque ora polluerant, pollutis antè mentibus propriis, vnde etiam ſunt ipſæ manus atque ora polluta, fidem noſtram conſenſúmque monſtrauimus. Abſit enim ab Eccleſia Romana vigorem ſuum tam profanâ facilitate dimittere, & neruos ſeueritatis euerſa fidei majeſtate diſſoluere; vt cùm adhuc non tantùm jaceant, ſed & cadant euerſorum fratrum ruinæ, properata nimis remedia communicationum vtique non profutura præſtentur, & noua per miſericordiam falſam vulnera veteribus transgreſſionis vulneribus imprimantur, vt miſeris ad euerſionem majorem eripiatur & pœnitentia. Vbi enim poterit indulgentiæ medicina procedere, ſi etiam ipſe medicus interceptâ pœnitentiâ indulget periculis? ſi tantummodò operit vulnus, nec ſinit neceſſaria

temporis remedia obducere cicatricem: hoc non est curare, sed, si dicere verum volumus, occidere.

Quanquam Confessorum quoque, quos hîc adhuc in carcerem dignitas suæ confessionis inclusit,& ad certamen Euangelicum sua fides in confessione jam gloriosa semel coronauit, literas habeas conspirantes cum literis nostris, quibus seueritatem Euangelicæ disciplinæ protulerunt, & illicitas petitiones ab Ecclesiæ pudore reuocarunt. Nisi hoc fecissent,disciplinæ Euangelicæ ruina non facilè sarciretur, præsertim cùm nulli magis tam congruens esset tenorem Euangelici vigoris illibatum, dignitatemque seruare, quàm qui se excruciandos & excarnificandos pro Euangelio furentibus tradidissent, ne martyrij honorem meritò perderent, si in occasione martyrij præuaricatores Euãgelij esse voluissent: nam qui quod habet,non custodit, in eo ex quo illud possidet, dum id ex quo possidet,violat, violat illud quod possidebat. In quo loco maximas tibi atque vberes gratias referre debemus & reddimus; quòd illorum carceris tenebras literis tuis illuminasti;quòd ad illos venisti,quomodo introire potuisti;quòd illorum animos, suâ fide & confessione robustos, tuis allocutionibus literísque recreasti;quòd felicitates eorum condignis laudibus prosecutus accendisti ad multo ardentiorem cælestis gloriæ cupiditatem; quòd pronos impulisti; quòd,vt credimus & optamus, victores futuros viribus tui sermonis animasti: vt quanquã hoc totum de fide confitentiũ & de diuina indulgentia venire videatur, tamẽ in martyrio suo tibi ex aliquo debitores facti esse videantur.

Sed vt ad id, vnde digressus sermo videbatur esse, rursus reuertatur, quales literas in Siciliam quoque miserimus, subjectas habebis. Quanquam nobis differendæ hujus rei necessitas major incumbat, quibus, post excessum nobilissimæ memoriæ viri Fabiani, nondum est Episcopus propter rerum & temporum difficultates constitutus, qui omnia ista moderetur, & eorum, qui lapsi sunt, possit cum auctoritate & consilio habere rationem. Quanquam nobis in tam ingenti negotio placeat, quod & tu ipse tractasti priùs: Ecclesiæ pacem sustinendam, deinde sic collatione consiliorum cum Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Confessoribus, pariter ac stantibus Laïcis facta, lapsorum tractare rationem. Perquàm enim nobis & inuidiosum & onerosum videtur, non per multos examinare, quod per multos commissum videatur fuisse, & vnum

ſententiam dicere, cùm tam grande crimen per multos diffuſum notetur exiſſe; quoniam nec firmum decretum poteſt eſſe, quod non plurimorum videbitur habuiſſe conſenſum. Aſpice totum orbem penè vaſtatum, & vbique jacere dejectorum reliquias, & ruinas, & iccircò tam grande expeti conſilium, quàm latè propagatum videtur eſſe delictum. Non ſit minor medicina, quàm vulnus eſt: non ſint minora remedia quàm funera: vt quo modo qui ruerunt, ob hoc ruerunt, quòd cæcâ temeritate nimis incauti fuerunt; ita qui hoc diſponere nituntur, omni conſiliorum moderamine vtantur, ne quid non, vt oportet, factum tanquam irritum ab omnibus judicetur.

Vno igitur eodémque conſilio, iiſdem precibus & fletibus tam nos, qui vſque adhuc videmur temporis iſtius ruinas ſubterfugiſſe, quàm illi qui in has temporis videntur clades incidiſſe, diuinam majeſtatem deprecantes, pacem Eccleſiaſtico nomine poſtulemus: mutuis votis nos inuicem foueamus, cuſtodiamus, armemus: oremus pro lapſis, vt erigantur; oremus pro ſtantibus, vt non ad ruinas vſque tententur: oremus vt qui cecidiſſe referuntur, delicti ſui magnitudinem agnoſcentes, intelligant non momentaneam neque præproperam deſiderare medicinam: oremus vt effectus indulgentiæ, lapſorum ſubſequatur & pœnitentiam, vt intellecto ſuo crimine velint nobis interim præſtare patientiam, nec adhuc fluctuantem turbent Eccleſiæ ſtatum; nè interiorem nobis perſecutionem ipſi incendiſſe videantur, & accedat ad criminum cumulum, quòd etiam inquieti fuerunt. Maximè enim illis congruit verecundia, quorum in delictis damnatur mens inuerecunda. Pulſent ſanè fores, ſed non vtique confringant. Adeant ad limen Eccleſiæ, ſed non vtique tranſiliant. Caſtrorum cœleſtium excubent portis, ſed armati modeſtiâ, quâ intelligant ſe deſertores fuiſſe. Reſumant precum ſuarum tubam, ſed quâ non bellicum clangant. Arment ſe quidem modeſtiæ telis, & quem, negando mortis metu, fidei dimiſerant clypeum, reſumant; ſed vt contra hoſtem diabolum vel nunc armati, non contra Eccleſiam, quæ illorum dolet caſus, armatos eſſe ſe credant. Multùm illis proficiet petitio modeſta, poſtulatio verecunda, humilitas neceſſaria, patientia non otioſa. Mittant legatos pro ſuis doloribus lacrymas; aduocatione fungantur ex intimo pectore prolati gemitus, dolorem probantes commiſſi

missi criminis & pudorem. Immò si dedecoris admissi magnitudinem perhorrescunt, si pectoris & conscientię suę lethalem plagam & sinuosi vulneris altos recessus verè medica manu tractant, erubescant & petere; nisi quia majoris est rursum & periculi & pudoris, auxilium pacis non petiisse. Sed hoc totum in sacramento, sed in ipsius postulationis lege temporis facto temperamento, sed postulatione demissa, sed prece subdita; quoniam & qui petitur flecti debet, non incitari; & sicut respici debet diuina clementia, sic respici debet & diuina censura, & sicut scriptum est: *Donaui tibi omne debitum, quia me rogasti:* sic scriptum est: *Qui me negauerit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, & coram Angelis ejus.* Deus enim vt est indulgens, ita est præceptorum suorum exactor, & quidem diligens, & sicut ad conuiuium vocat, sic habitum nuptiarum non habentem ligatis manibus & pedibus extra sanctorum cœtum foras jactat. Parauit cælum, sed parauit & tartarum. Parauit refrigeria, sed parauit etiam æterna supplicia. Parauit inaccessibilem lucem, sed parauit etiam perpetuæ noctis vastam æternámque caliginem. Mat. 18. 32. Mat. 10. 33.

Cujus temperamenti moderamen nos hîc tenere quærentes diu, & quidem multi, & quidem cum quibusdam Episcopis vicinis nobis & appropinquantibus, & quos ex aliis prouinciis longè positis persecutionis istius ardor ejecerat, ante constitutionem Episcopi nihil innouandum putauimus, sed lapsorum curam mediocriter temperandam esse credimus; vt interim dum Episcopus dari à Deo nobis sustinetur, in suspenso eorum qui moras possunt dilationis sustinere, causa teneatur: eorum autem, quorum vitæ suæ finem vrgens exitus dilationem non potest ferre, actâ pœnitentiâ & professâ frequenter suorum detestatione factorum; si lacrymis, si gemitibus, si fletibus, dolentis ac verè pœnitentis animi signa prodiderint, cùm spes viuendi secundum hominem nulla substiterit, ita demum cautè & solicitè subueniri; Deo ipso sciente quid de talibus faciat, & qualiter judicij sui examinet pondera, nobis tamen anxiè curantibus, vt nec pronam nostram improbi homines laudent facilitatem, nec verè pœnitentes accusent nostram quasi duram crudelitatem. Optamus te, beatissime ac gloriosissime Papa, in Domino semper bene valere, & nostri meminisse.

EIVSDEM S. CÆCILII

CYPRIANI

DE ORATIONE DOMINICA

LIBER.

Commendatio præceptorum Euangelicorum.

EVANGELICA præcepta, fratres dilectissimi, nihil sunt aliud quàm magisteria diuina, fundamenta ædificandæ spei, firmamenta corroborandæ fidei, nutrimenta fouendi cordis, gubernacula dirigendi itineris, præsidia obtinendæ salutis: quæ dum dociles credentium mentes in terris instruunt, ad cælestia regna perducunt. Multa & per Prophetas seruos suos dici Deus voluit & audiri: sed quanto majora sunt quæ Filius loquitur, quæ Dei sermo, qui in Prophetis fuit, propria voce testatur, non jam mandans vt paretur venienti via, sed ipse veniens, & viam nobis aperiens & ostendens; vt qui in tenebris mortis errantes improuidi & cæci priùs fuimus, luce gratiæ luminati, iter vitæ duce & rectore Domino teneremus.

Christus ipse orare nos docuit.

Qui inter cætera salutaria sua monita & præcepta diuina, quibus populo suo consuluit ad salutem, etiam orandi ipse formam dedit; ipse quid precaremur, monuit & instruxit. Qui fecit viuere, docuit & orare, benignitate ea, scilicet, qua & cætera dare & conferre dignatus est; vt dum prece & oratione, quam Filius docuit, apud Patrem loquimur, faciliùs audiamur. Iam prædixerat horam venire: quando veri adoratores adorarent Patrem in spiritu & veritate, & impleuit quod antè promisit; vt qui spiritum, & veritatem de ejus sanctificatione percepimus, de traditione

Ioan. 4. 23.

quoque ejus verè & spiritaliter adoremus. Quæ enim potest esse magis spiritalis oratio, quàm quæ verè à Christo nobis data est, à quo nobis & Spiritus-sanctus missus est? Quæ verà magis apud Patrem precatio, quam quæ à Filio, qui est veritas, de ejus ore prolata est? vt aliter orare quàm docuit, non ignorantia sola sit, sed & culpa; quando ipse posuerit & dixerit: *Rejicitis mandatum Dei, vt traditionem vestram statuatis.* Oremus itaque, FRATRES DILECTISSIMI, sicut magister Deus docuit. Amica & familiaris oratio est Deum de suo rogare; ad aures ejus ascendere Christi orationem. Agnoscat Pater Filij sui verba. Cùm precem facimus; qui habitat intus in pectore, ipse sit & in voce. Et cùm ipsum habeamus apud Patrem aduocatum pro peccatis nostris; quando peccatores pro delictis nostris petimus, aduocati nostri verba promamus. Nam cùm dicat, quia quodcunque petierimus à Patre in nomine ejus, dabit nobis: quanto efficaciùs impetramus quod petimus in Christi nomine, si petamus ipsius oratione?

Orationis Dominicæ dignitas.

Marc. 7. 8.

1. Ioan. 2. 1

Ioan. 16. 23.

*S*it autẽ orantibus sermo & precatio cum disciplina, quietem continens & pudorem. Cogitemus nos sub conspectu Dei stare: placendum est diuinis oculis & habitu corporis, & modo vocis: Nam vt impudentis est clamoribus strepere, ita contrà congruit verecundo modestis precibus orare. Denique magisterio suo Dominus secretò orare nos præcepit, in abditis & semotis locis, in cubiculis ipsis, quod magis conuenit fidei; vt sciamus Deum vbique esse præsentem, audire omnes & videre, & majestatis suæ plenitudine in abdita quoque & occulta penetrare, sicut scriptum est: *Ego Deus approximans, & non Deus de longinquo. Si absconditus fuerit homo in absconditis, ego ergo non videbo eum? Nonne cælum & terram ego impleo?* Et iterum: *In omni loco oculi Dei speculantur bonos & malos.* Et quando in vnum cum Fratribus conuenimus, & sacrificia diuina cum Dei Sacerdote celebramus, verecundiæ & disciplinæ memores esse debemus: Non passim ventilare preces nostras inconditis vocibus; nec petitionem commendandam modestè Deo, tumultuosa loquacitate jactare: quia Deus non vocis, sed cordis auditor est. Nec admonendus est clamoribus, qui cogitationes hominum videt, probante Domino & dicente: *Quid cogitatis nequam*

Inter orandum attentio est necessaria.

Ierem. 23. 23

Prou. 15. 3.

Mat. 9. 4.

Apoc. 2. 23. *in cordibus vestris?* Et alio loco: *& scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutator renis & cordis.* Quod Anna in primo Regnorum libro, Ecclesiæ typum portans, custodit & seruat; quæ Dominum non clamosa petitione, sed tacitè & modestè intra ipsas pectoris latebras precabatur. Loquebatur prece occulta, sed manifesta fide: loquebatur non voce, sed corde: quia sic Deum sciebat audire; & impetrauit efficaciter quod petiit, quia fideliter postulauit. Declarat scriptura diuina,
1. Reg. 1. 13. quæ dicit: *Loquebatur in corde suo, & labia ejus mouebantur, & vox ejus non audiebatur, & exaudiuit eam Deus.* Item le-
Ps. 4. 5. gimus in Psalmis: *Dicite in cordibus, & in stratis vestris, & transpungimini.* Per Hieremiam quoque hæc eadem Spiritus
Ierem. Ep. Baruch. 6. 6 sanctus suggerit & docet dicens: *In sensu autem tibi debet adorari Deus.*

Orationem humilitas comitari debet. Adoramus autem, FRATRES DILECTISSIMI, nec illud ignoret, quemadmodum in templo cum Pharisæo Publicanus orauerit; non alleuatis in cælum impudenter oculis, nec manibus insolenter erectis, sed pectus suum pulsans, & peccata intus inclusa contestans, diuinæ misericordiæ implorabat auxilium. Et cùm sibi Pharisæus placeret, sanctificari Publicanus hic magis meruit qui sic rogauit; qui spem salutis non in fiducia innocentiæ suæ posuit, cùm innocens nemo sit, sed peccata confessus humiliter orauit, & exaudiuit orantem qui semper humilibus ignoscit. Quæ
Luc. 18. 10. Dominus in Euangelio suo ponit, & dicit: *Homines duo ascenderunt in templum adorare, vnus Pharisæus, & vnus Publicanus. Pharisæus cùm stetisset, talia apud se precabatur: Deus gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri homines, injusti, raptores, adulteri, quomodo & Publicanus iste: jejuno bis in Sabbato, decimas do omnium quæcunque possideo. Publicanus autem de longinquo stabat, & neque oculos volebat ad cælum leuare, sed percutiebat pectus suum dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. Dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam magis, quàm ille Pharisæus. Quia omnis qui se extollit, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.*

Quæ nos, FRATRES DILECTISSIMI, de diuina lectione discentes, postquam cognouimus qualiter ad orationem accedere debeamus; cognoscamus, docente Domino & quid oremus. *Sic*, inquit, *orate*:

Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum: Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Et ne nos patiaris induci in tentationem: Sed libera nos à malo. Amen. Mat. 6. 9.

Ante omnia pacis doctor atque vnitatis magister singillatim noluit & priuatim precem fieri, vt quis cùm precatur, pro se tantùm precetur. Non enim dicimus, *Pater meus, qui es in cælis*; nec *Panem meum da mihi hodie*, nec *dimitti sibi tantùm vnusquisque debitum* postulat; aut vt *in tentationem non inducatur*, atque *à malo liberetur*, pro se solo rogat. Publica est nobis & communis oratio: & quando oramus, non pro vno, sed pro toto populo oramus; quia totus populus vnum sumus. Deus pacis & concordiæ magister qui docuit vnitatem, sic orare vnum pro omnibus voluit, quo modo in vno omnes ipse portauit. Hanc orationis legem seruauerunt tres pueri in camino ignis inclusi; consonantes in prece, & spiritus consensione concordes. Quod declarat scripturæ diuinæ fides; & dum docet quo modo orauerint tales, dat exemplum quod imitari in precibus debeamus, vt tales esse possimus: *Tunc illi tres*, inquit, *quasi ex vno ore hymnum canebant, & benedicebant Dominum.* Loquebantur quasi ex vno ore, & nondum illos Christus in carne visus docuerat orare, & iccirco orantibus fuit impetrabilis & efficax sermo, quia promerebatur Dominum pacifica, & simplex, & spiritalis oratio. Sic & Apostolos cum discipulis post Ascensum Domini inuenimus orasse. *Erant*, inquit, *perseuerantes omnes vnanimes in oratione cum mulieribus & Mariâ, quæ fuit mater* IESV *& fratribus ejus.* Perseuerabant in oratione vnanimes, orationis suæ & instantiam simul & concordiam declarantes. Quia Deus, *qui inhabitare facit vnanimes in domo*, non admittit in diuinam & æternam domum, nisi eos apud quos est vnanimis oratio.

Oratio Dominica est publica & communis. — *Dan. 3. 51.* — *Act. 1. 14.* — *Psal. 67. 7.*

Qualia autem sunt, Fratres dilectissimi, orationis Dominicæ Sacramenta: quàm multa, quàm magna, breuiter in sermone collecta, sed in virtute spiritaliter copiosa? vt nihil omnino prætermissum sit, quod non in precibus atque orationibus nostris cælestis doctrinæ compendio comprehendatur. *Sic*, ait, *orate*: PATER NOSTER, QVI ES IN

Oratio Dominica est totius cælestis doctrinæ compendium. — *Mat. 6. 9.*

Orationis Dominicæ petitiones singulæ explicatæ.

CÆLIS. Homo nouus, renatus, & Deo suo per ejus gratiam restitutus: *Pater*, primo in loco dicit; quia Filius esse jam cœpit. *In sua*, inquit, *propria venit*, *& sui eum non receperunt. Quotquot autem eum receperunt, dedit illis potestatem, vt Filij Dei fierent, his qui credunt in nomine ejus.* Qui ergo credidit in nomine ejus, & factus est Dei filius: hinc debet incipere, vt & gratias agat, & profiteatur se Dei Filium, dum nominat Patrem sibi esse in cœlis Deum; contestetur quoque inter prima statim natiuitatis suæ verba renunciasse se terreno & carnali patri, & patrem solum nosse se, & habere cœpisse; qui sit in cælis, sicut scriptum est: *Qui dicunt patri & matri, non noui te, & filios suos non agnouerunt, hi custodierunt præcepta tua, & testamentum tuum seruauerunt.* Item Dominus in Euangelio suo præcepit, ne vocemus nobis patrem in terra, quòd sit scilicet nobis vnus pater qui est in cælis. Et discipulo qui mentionem defuncti patris fecerat, respondit: *sine, mortui mortuos suos sepeliant*; dixerat enim patrem suum mortuum, cùm sit credentium pater viuus.

Ioan. 1. 11. Deut. 33. 9. Mat. 23. 9. Mat. 8. 22.

Nec hoc solùm, Fratres dilectissimi, animaduertere & intelligere debemus, quòd appellemus patrem qui sit in cælis: sed conjungimus & dicimus: PATER NOSTER, id est, eorum qui credunt; eorum qui per eum sanctificati, & gratiæ spiritalis natiuitate reparati, Filij Dei esse cœperunt. Quæ vox Iudæos etiam perstringit & percutit, qui Christum sibi per Prophetas annuntiatum, & ad se priùs missum, non tantùm infideliter spreuerunt, sed & crudeliter necauerunt. Qui jam non possunt patrem Deum vocare, cùm Dominus eos confundat, & redarguat dicens: *Vos de diabolo patre nati estis, & concupiscentias patris vestri facere vultis. Ille enim homicida fuit ab initio, & in veritate non stetit quia veritas non est in illo.* Et per Esaïam Prophetam Deus clamat indignans: *Filios generaui & exaltaui, ipsi autem me spreuerunt. Agnouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israël autem me non cognouit, & populus meus me non intellexit. Væ genti peccatrici, populo pleno pecatis, semen nequam, filij scelesti: Dereliquistis Dominum, & in indignationem misistis illum sanctum Israël.* In quorum exprobrationem, Christiani quando oramus, *Pater noster*, dicimus; quia noster esse

Ioan. 8. 44. Isa. 1. 2.

cœpit, & Iudæorum, qui eum reliquerunt, esse desiit: nec peccator populus potest esse filius; sed quibus remissa peccatorum datur, eis filiorum nomen ascribitur, eis & æternitas repromittitur, Domino ipso dicente: *Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Seruus autem non manet in domo in æternum; filius autem manet in æternum.* Quanta autem Domini indulgentia, quanta circa nos dignationis ejus & bonitatis vbertas; qui sic nos voluerit orationem celebrare in conspectu Dei, vt Deum patrem vocemus, & vt est Christus Dei Filius, sic & nos Dei Filios nuncupemus? Quod nomen nemo nostrûm in oratione auderet attingere, nisi ipse nobis sic permisisset orare. Meminisse itaque, Fratres dilectissimi, & scire debemus, quia quando patrem Deum dicimus, quasi Filij Dei agere debemus, vt quo modo nos nobis placemus de Deo patre, sic sibi placeat & ille de nobis. Conuersemur quasi Dei templa; vt Deum in nobis constet habitare. Nec sit degener actus noster à spiritu, vt qui cælestes & spiritales esse cœpimus; non nisi spiritalia & cælestia cogitemus & agamus, quia & ipse Dominus Deus dixit: *Eos qui clarificant me, clarificabo: & qui me spernit, spernetur.* Beatus quoque Apostolus in Epistola sua posuit: *Non estis vestri, empti enim estis pretio magno: clarificate & portate Deum in corpore vestro.*

Ioan. 8. 34. *1. Reg. 2. 30.* *1. Cor. 6. 20.*

Post hoc dicimus: SANCTIFICETVR NOMEN TVVM; non quòd optemus Deo vt sanctificetur orationibus nostris; sed quòd petamus ab eo, vt nomen ejus sanctificetur in nobis. Cæterùm à quo Deus sanctificatur, qui ipse sanctificat? Sed quia ipse dixit: *Sancti estote, quoniam & ego sanctus sum*, id petimus & rogamus, vt qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse cœpimus, perseueremus, & hoc quotidie deprecamur. Opus est enim nobis quotidiana sanctificatione, vt qui quotidie delinquimus, delicta nostra sanctificatione assidua repurgemus. Quæ autem sit sanctificatio, quæ nobis de Dei dignatione confertur, Apostolus prædicat dicens: *Neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum appetitores, neque fures, neque fraudatores, neque ebriosi, neque maledici, neque raptores regnum Dei consequentur. Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed justificati estis, sed sanctificati estis in nomine Do-*

Leu. 20. 26. *1. Cor. 6. 10.*

mini Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri. Sanctificatos nos dicit in nomine Domini IESV-CHRISTI, & in spiritu Dei nostri. Hæc sanctificatio vt in nobis permaneat oramus: & quia
Ioan. 5. 14 Dominus & judex noster sanato à se & justificato comminatur jam non delinquere, ne quid ei deterius fiat, hanc continuis orationibus precem facimus, hoc diebus ac noctibus postulamus, vt sanctificatio & viuificatio, quæ de Dei gratiâ sumitur, ipsius protectione seruetur.

Sequitur in oratione: ADVENIAT REGNVM TVVM. Regnum etiam Dei repræsentari nobis petimus; sicuti & nomen ejus, vt in nobis sanctificetur postulamus. Nam Deus quando non regnat? aut apud eum quando incipit, quod & semper fuit, & esse non desinit? Nostrum regnum petimus aduenire à Deo nobis repromissum, Christi sanguine & passione quæsitum; vt qui in seculo antè seruiuimus, postmodum Christo dominante regnemus, sicut ipse polli-
Mat. 25. 34. cetur & dicit: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Potest verò, Fratres dilectissimi, & ipse Christus esse regnum Dei, quem venire quotidie cupimus, cujus aduentus vt citò nobis repræsentetur, optamus. Nam cùm resurrectio ipse nostra sit, quia in ipso resurgimus: sic & regnum Dei potest ipse intelligi, quia in illo regnaturi sumus. Bene autem regnum Dei petimus, id est, regnum cæleste, quia est & terrestre regnum. Sed qui renuntiauit jam seculo, major est & honoribus ejus, & regno; & ideo qui se Deo & Christo dedicat, non terrena, sed cælestia regna desiderat. Continua autem oratione & prece opus est, ne excidamus à regno cælesti, sicut Iudæi, quibus hoc priùs promissum fuerat, exciderunt; Domino manifestante & probante: *Mul-*
Mat. 8. 11. *ti*, inquit, *venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac & Iacob, in regno cælorum; Filij autem regni expellentur in tenebras exteriores: illic erit ploratio & stridor dentium.* Ostendit quia antè filij regni Iudæi erant, quando & filij Dei esse perseuerabant: Postquam cessauit circa illos nomen paternum, cessauit & regnum. Et ideò Christiani, qui in oratione appellare patrem Deum cœpimus, nos & vt regnum Dei nobis veniat oramus.

Addimus quoque & dicimus: FIAT VOLVNTAS TVA

SICVT IN CÆLO ET IN TERRA: non vt Deus faciat quod vult, sed vt nos facere possimus, quod Deus vult. Nam Deo quis obsistit, quominùs quod velit faciat? Sed quia nobis à diabolo obsistitur, quominùs per omnia noster animus atque actus Deo obsequatur; oramus & petimus vt fiat in nobis voluntas Dei, quæ vt fiat in nobis, opus est Dei voluntate, id est, ope ejus & protectione: quia nemo suis viribus fortis est, sed Dei indulgentiâ & misericordiâ tutus est. Denique & Deus infirmitatem hominis, quem portabat, ostendens ait: *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste.* Et exemplum discipulis suis tribuens, vt non voluntatem suam, sed Dei faciant, addidit, dicens: *Veruntamen non quod ego volo, sed quod tu.* Et alio loco dicit: *Non descendi de cælo vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Quòd si filius obaudiuit vt faceret patris voluntatem: quanto magis seruus obaudire debet vt faciat Domini voluntatem, sicut in Epistola sua Ioannes quoque ad faciendam Dei voluntatem hortatur & instruit dicens: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis dilexerit mundum, non est charitas patris in illo. Quia omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio seculi, quæ non est à patre, sed ex concupiscentia mundi, & mundus transibit & concupiscentia ejus. Qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum,* quo modo & Deus manet in æternum. Qui in æternum manere volumus; Dei, qui æternus est, voluntatem facere debemus. Voluntas autem Dei est, quam Christus & fecit & docuit: Humilitas in conuersatione, stabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis justitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina, injuriam facere non nosse, & factam posse tolerare, cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere, amare in illo quòd pater est, timere quòd Deus est; Christo nihil omnino præponere, quia nec nobis quidquam ille præposuit; charitati ejus inseparabiliter adhærere, cruci ejus fortiter ac fidenter assistere: quando de ejus nomine & honore certamen est, exhibere in sermone constantiam qua confitemur; in quæstione fiduciam, qua congredimur; in morte patientiam, qua coronamur: hoc est coheredem Christi esse velle, hoc est præceptum Dei facere, hoc est vo-

Mat. 26.39.
Ibid.
Ioan. 6.38.
1.Ioan.2.15.

luntatem patris adimplere.

Fieri autem petimus voluntatem Dei vt in cælo& in terra, quod vtrunque ad consummationem nostræ incolumitatis pertinet & salutis. Nam cùm corpus è terra, & spiritum possideamus è cælo, ipsi terra & cælum sumus, & in vtroque, id est, & corpore & spiritu, vt Dei voluntas fiat oramus. Est enim inter carnem & spiritum colluctatio, & discordantibus aduersus se inuicem quotidiana congressio, vt non quæ volumus ipsa faciamus: dum spiritus cælestia & diuina quærit, caro terrena & secularia concupiscit: & ideo petimus impensè inter duo ista, ope & auxilio Dei concordiam fieri: vt dum & in spiritu & in carne voluntas Dei geritur, quæ per eum renata est, anima seruetur. Quod apertè atque manifestè Apostolus Paulus sua voce declarat:
Gal. 5. 17. *Caro*, inquit, *concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: hæc enim inuicem aduersantur sibi, vt non quæ vultis ipsa faciatis. Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt adulteria, fornicationes, immunditiæ, spurcitiæ, idololatria, veneficia, homicidia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animositates, prouocationes, simultates, dissensiones, hæreses, inuidiæ, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, magnanimitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia, castitas.* Et iccirco quotidianis immò continuis orationibus hoc precamur, & in cælo & in terra voluntatem circa nos Dei fieri: quia hæc est voluntas Dei, vt terrena cælestibus cedant, spiritalia & diuina præualeant. Potest & sic intelligi, Fratres dilectissimi, vt quoniam mandat & monet Dominus etiam inimicos diligere, & pro iis quoque, qui nos persequuntur, orare; petamus & pro illis qui adhuc terra sunt, & necdum cælestes esse cœperunt, vt & circa illos voluntas Dei fiat, quam Christus hominem conseruando & redintegrando perfecit. Nam cùm discipuli ab eo non jam terra appellentur, sed
Mat. 5. 13. sal terræ: & Apostolus primum hominem vocet de terræ li-
1. Cor. 15. 47 mo, secundum verò de cælo: meritò & nos, qui esse de-
Mat. 5. 45. bemus patri Deo similes (*qui solem suum oriri facit super bonos & malos, pluit super justos & injustos*) Sic Christo monente oramus, & petimus, vt precem pro omnium salute facia-

mus; vt quomodo in cælo, id est in nobis, per fidem nostram voluntas Dei facta est, vt essemus è cælo; ita & in terra, hoc est, in illis non credentibus fiat voluntas Dei, vt qui adhuc sunt prima natiuitate terreni, incipiant esse cælestes, ex aqua & spiritu nati.

Procedente oratione postulamus & dicimus: PANEM NOSTRVM QVOTIDIANVM DA NOBIS HODIE. Quod potest & spiritualiter, & simpliciter intelligi: quia & vterque intellectus vtilitate diuina proficit ad salutem. Nam panis vitæ Christus est, & panis hic omnium non est, sed noster est: & quomodo dicimus pater noster, quia intelligentium & credentium pater est, sic & panem nostrum vocamus; quia Christus, noster (qui corpus ejus contingimus) panis est. Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo grauiore delicto, dum abstenti & non communicantes à cælesti pane prohibemur, à Christi corpore separemur; ipso prædicante & monente: *Ego sum panis vitæ qui de cælo descendi. Si quis ederit de meo pane, viuet in æternum. Panis autem, quem ego dedero, caro mea est pro seculi vita.* Quando ergo dicit in æternum viuere, si quis ederit de ejus pane; vt manifestum est eos viuere, qui corpus ejus attingunt, & Eucharistiam jure communicationis accipiunt: ita contrà timendum est & orandum, ne dum quis abstentus separatur à Christi corpore, procul remaneat à salute; comminante ipso & dicente: *Nisi ederitis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis.* Et ideo panem nostrum, id est, Christum dari nobis quotidie petimus, vt qui in Christo manemus & viuimus, à sanctificatione ejus & corpore non recedamus. Potest verò & sic intelligi, vt qui seculo renuntiauimus, & diuitias ejus & pompas fide gratiæ spiritalis abjecimus, cibum nobis tantùm petamus & victum; quando instruat Dominus & dicat: *Qui non renuntiat omnibus quæ sunt ejus, non potest meus discipulus esse.* Qui autem Christi cœpit esse discipulus, secundum magistri sui vocem renuntians omnibus, diurnum debet cibum petere, nec in longum desideria petitionis extendere, ipso iterum Domino præscribente & dicente: *Nolite in crastinum cogitare, cra-*

Ioan. 6. 51.

Ibid 54.

Luc. 14. 33.

Mat. 6. 34.

ſtinus enim dies ipſe cogitabit ſibi. Sufficit diei malitia ſua. Meritò ergo Chriſti diſcipulus victum ſibi in diem poſtulat, qui de craſtino cogitare prohibetur: quia & contrarium ſibi fit & repugnans, vt quæramus in ſeculo diu viuere, qui petimus regnum Dei velociter aduenire. Sic beatus Apoſtolus monet, formans & corroborans ſpei noſtræ ac fidei

1.Tim. 6. 7. firmitatem: *Nihil, inquit, intulimus in hunc mundum, verùm nec auferre poſſumus. Habentes itaque exhibitionem & tegumentum, his contenti ſimus. Qui autem volunt diuites fieri incidunt in tentationem & muſcipulam & deſideria multa & nocentia, quæ mergunt hominem in perditionem & in interitum: Radix enim omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes naufragauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis.* Docet non tantùm contemnendas, ſed & periculoſas eſſe diuitias, illic eſſe radicem malorum blandientium, cæcitatem mentis humanæ occulta deceptione fallentium. Vnde & diuitem ſtultum ſeculares copias cogitantem, & ſe exuberantium fructuum largita-

Luc. 12. 20. te jactantem redarguit Deus dicens: *Stulte, hac nocte expoſtulatur anima tua: quæ ergo paraſti, cujus erunt?* Lætabitur ſtultus in fructibus ipſa nocte moriturus, & cui vita jàm deerat, victûs abundantiam cogitabat. Contrà autem Dominus per-

Mat. 19. 21. fectum & conſummatum docet fieri; qui omnibus ſuis venditis, atque in vſum pauperum diſtributis, theſaurum ſibi condat in cælo. Eum dicit poſſe ſe ſequi, & gloriam Dominicæ Paſſionis imitari; qui expeditus & ſuccinctus nullis laqueis rei familiaris inuoluitur; ſed ſolutus ac liber facultates ſuas ad Deum antè præmiſſas, ipſe quoque comitatur. Ad quod vt poſſit vnuſquiſque noſtrûm parare ſe; ſic diſcat orare, & de orationis lege qualis eſſe debeat noſcere. Neque enim deeſſe quotidianus cibus poteſt juſto, cùm

Prou 10. 3. ſcriptum ſit: *Non occidet Dominus fame animam juſtam*; Et

Pſa. 36. 25. iterum: *Junior fui & ſenui, & non vidi juſtum derelictum, neque ſemen ejus quærens panem*; Item Dominus promittat &

Mat. 6. 31. dicat: *Nolite cogitare dicentes; quid edemus, aut quid bibemus, aut quid veſtiemur? hæc enim nationes quærunt. Scit autem pater veſter, quia horum omnium indigetis. Quærite primò regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia apponentur vobis.* Quærentibus regnum & juſtitiam Dei, omnia promittit apponi. Nam cùm Dei ſint omnia, habenti Deum nihil deerit, ſi Deo

ipſe non deſit. Sic Danieli in leonum lacu juſſu Regis incluſo, prandium diuinitus procuratur; & inter feras eſurientes & parcentes, homo Dei paſcitur. Sic alitur Helias in fuga: & in ſolitudine coruis miniſtrantibus, & volucribus cibum ſibi apportantibus in perſecutione nutritur. Atque ô humanæ malitiæ deteſtanda crudelitas: feræ parcunt, aues paſcunt, & homines inſidiantur & ſæuiunt. Dan. 14. 30. 3. Reg. 17. 6.

Poſt hæc & pro peccatis noſtris deprecamur dicentes: ET REMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA, SICVT ET NOS REMITTIMVS DEBITORIBVS NOSTIS. Poſt ſubſidium cibi petitur & venia delicti; vt qui à Deo paſcitur, in Deo viuat: nec tantùm præſenti & temporali vitæ, ſed & æternæ conſulatur; ad quam veniri poteſt, ſi peccata donentur: quæ debita Dominus appellat, ſicut in Euangelio ſuo dicit: *Dimiſi tibi omne debitum, quia me rogaſti.* Quàm neceſſariè autem, quàm prouidenter, & ſalutariter admonemur, quòd peccatores ſumus, qui pro peccatis rogare compellimur, vt dum indulgentia de Deo petitur, conſcientiæ ſuæ animus recordetur. Ne quis ſibi quaſi innocens placeat cùm innocens nemo ſit, & ſe extollendo plùs pereat, inſtruitur & docetur peccare ſe quotidie dum quotidie pro peccatis jubetur orare. Sic denique & Ioannes in Epiſtola ſua monet dicens: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt. Si autem confeſſi fuerimus peccata noſtra, fidelis & juſtus eſt Dominus, qui nobis peccata dimittat.* In Epiſtola ſua vtrumque complexus eſt; quòd & rogare pro peccatis debeamus, impetremus indulgentiam cùm rogamus. Ideo & fidelem dixit Dominum ad dimittenda peccata, fidem pollicitationis ſuæ reſeruantem. Quia qui orare nos pro debitis & peccatis docuit, paternam miſericordiam promiſit & veniam ſecuturam. Adjunxit planè & addidit legem, certa nos conditione & ſponſione conſtringens, vt ſic nobis dimitti debita poſtulemus, ſecundum quod & ipſi debitoribus noſtris dimittimus: Scientes impetrari non poſſe, quod pro peccatis petimus; niſi & ipſi circa debitores noſtros paria fecerimus. Iccirco & alio in loco dicit: *In qua menſura menſi fueritis, in ea remetietur vobis.* Et qui ſeruus poſt dimiſſum ſibi à Domino omne debitum, conſeruo ſuo noluit ipſe dimittere, in carcerem relegatur: Mat. 18. 32. 1. Ioan. 1. 8. Matt. 7. 2. Matt. 18. 34.

Quia indulgere conseruo suo noluit, quod sibi à Domino indultum fuerat amisit. Quæ adhuc fortiùs Christus in præ-
Marc. 11. 25 ceptis suis majore censuræ suæ vigore proponit: *Cùm steteritis*, inquit, *ad orationem, remittite si quid habetis aduersus aliquem, vt & Pater vester, qui in cælis est, remittat peccata vestra vobis: si autem vos non remiseritis, neque Pater vester, qui in cælis est, remittet vobis peccata vestra.* Excusatio tibi nulla in die judicij superest, cùm secundum tuam sententiam judiceris; & quod feceris, hoc & ipse patiaris. Pacificos enim & concordes atque vnanimes esse in domo sua Deus præcipit: & quales nos fecit secunda natiuitate, tales vult renatos perseuerare; vt qui filij Dei esse cœpimus, in Dei pace maneamus; & quibus spiritus vnus est, vnus sit & animus
Matt. 5. 23. & sensus. Sic nec sacrificium Deus recepit diffidentis, & ab altari reuertentem priùs fratri reconciliari jubet, vt pacificis precibus & Deus possit esse pacatus. Sacrificium Deo majus est pax nostra, & fraterna concordia, & de vnitate Patris & Filij & Spiritus sancti plebs adunata. Neque enim
Gen. 4. in sacrificiis quæ Abel & Caïn primi obtulerunt, munera eorum Deus, sed corda intuebatur; vt ille placeret in munere, qui placebat in corde. Abel pacificus & justus, dum Deo sacrificat innocenter; docuit & cæteros, quando ad altare munus offerunt, sic venire cum Dei timore, cum simplici corde, cum lege justitiæ, cum concordiæ pace; meritò ille, dum in sacrificio Dei talis est, ipse postmodum sacrificium Deo factus est; vt martyrium primus ostendens, initiaret sanguinis sui gloriâ Dominicam Passionem, qui & justitiam Domini habuerat & pacem. Tales denique à Domino coronantur, tales in die judicij cum Domino vindicabuntur. Cæterùm discordans & dissidens, & pacem cum Fratribus non habens, secundum quod Beatus Apostolus & scriptura sancta testatur, nec si pro nomine Christi occisus fuerit, crimen dissensionis fraternæ poterit euadere; quia
1. Ioan. 3. 15. sicut scriptum est: *Qui fratrem suum odit, homicida est; nec ad regnum cælorum peruenit, aut cum Deo viuit homicida.* Non potest esse cum Christo, qui imitator Iudæ maluit esse, quàm Christi. Quale delictum est, quod nec baptismo sanguinis potest ablui? quale crimen est, quod martyrio non potest expiari?

Illud quoque necessariè admonet Dominus vt in oratione dicamus: ET NE NOS PATIARIS INDVCI IN TENTATIONEM. Qua in parte ostenditur nihil contra nos aduersarium posse, nisi Deus antè permiserit; vt omnis timor noster & deuotio atque obseruatio ad Deum conuertatur, quando in tentationibus nostris nihil malo liceat, nisi potestas inde tribuatur. Probat scriptura diuina quæ dicit: *Venit Nabuchodonosor Rex Babyloniæ in Hierusalem, & expugnabat eam, & dedit eam Deus in manum ejus.* 4 Reg 24.10 Datur autem potestas aduersus nos malo secundum nostra peccata, sicut scriptum est: *Quis dedit in direptionem Iacob & Israël eis, qui prædantur illum? nonne Deus cui peccauerunt, & nolebant in viis ejus ambulare, neque audire legem ejus, & superduxit super eos iram animationis suæ?* Isa. 42.24. Et iterum, Salomone peccante & à præceptis atque à viis Domini recedente, positum est: *Et excitauit Dominus satanam ipsi Salomoni.* 3 Reg 11:14 Potestas verò dupliciter aduersus nos datur, vel ad pœnam cùm delinquimus, vel ad gloriam cùm probamur: Sicuti de Iob factum videmus, manifestante Deo & dicente: *Ecce omnia quæcunque habet, in manus tuas do: sed ipsum caue ne tangas.* Iob. 1. 12. Et Dominus in Euangelio loquitur tempore Passionis ad Pilatum: *Nullam haberes aduersum me potestatem, nisi data esset tibi desuper.* Ioan. 19. 11. Quando autem rogamus ne in tentationem veniamus, admonemur infirmitatis & imbecillitatis nostræ, dum sic rogamus, ne quis se insolenter extollat, ne quis sibi superbè atque arroganter aliquid assumat, ne quis aut confessionis, aut passionis gloriam suam ducat, cùm Dominus ipse humilitatem docens dixerit: *Vigilate & orate ne veniatis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma:* Marc. 14 38 vt dum præcedit humilis & summissa confessio, & datur totum Deo; quicquid suppliciter cum timore & honore Dei petitur, ipsius pietate præstetur.

Post ista omnia in consummatione orationis venit clausula, vniuersas petitiones & preces nostras collecta breuitate concludens. In nouissimo enim ponimus: SED LIBERA NOS A MALO, comprehendentes aduersa cuncta, quæ contra nos in hoc mundo molitur inimicus; à quibus potest esse fida & firma tutela, si nos Deus liberet, si deprecantibus atque implorantibus opem suam præstet. Quan-

do autem dicimus: *libera nos à malo*, nihil remanet quod vltrà adhuc debeat postulari: quando semel protectionem Dei aduersus malum petamus; qua impetrata contra omnia quæ diabolus & mundus operantur, securi stamus & tuti. Quis enim ei de seculo metus est, cui in seculo Deus tutor est?

Quid mirum, Fratres dilectissimi, si oratio talis est quam Deus docuit, qui magisterio suo omnem precem nostram salutari sermone breuiauit? Hoc jam per Esaïam Prophetam fuerat antè prædictum, cùm plenus Spiritu sancto de Dei majestate ac pietate loqueretur: *Verbum consummans*, inquit,
Isa. 10. 22. *& breuians in iustitia; quoniam sermonem breuiatum faciet Deus in toto orbe terræ.* Nam cùm Dei sermo Dominus noster IESVS CHRISTVS omnibus venerit, & colligens doctos pariter & indoctos, omni sexui atque ætati præcepta salutis ediderit: præceptorum suorum fecit grande compendium, vt in disciplina cælesti discentium memoria non laboraret, sed quod esset simplici fidei necessarium, velociter disceret. Sic cum doceret quid sit vita æterna, sacramentum vitæ magna & diuina breuitate complexus est dicens: *Hæc est*
Ioan. 17. *autem vita æterna, vt cognoscant te solum & verum Deum, & quem misisti*, IESVM CHRISTVM. Item cùm de lege &
Deut. 6. 4. Prophetis præcepta prima & majora decerperet: *Audi*, in-
Marc. 12. 30 quit, *Israël, Dominus Deus tuus, Deus vnus est.* Et, *Diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo, & de tota anima tua, & de tota virtute tua: hoc est primum mandatum; & secundum simile est huic: Diliges proximum tuum tanquam te ipsum. In his duobus præceptis tota lex pendet & Prophetæ.* Et iterum: *Quæ-*
Mat. 7. 12. *cunque volueritis vt faciant vobis homines bona, ita & vos facite illis: hæc est enim lex & Prophetæ.* Nec verbis tantùm, sed & factis Dominus orare nos docuit, ipse orans frequenter & deprecans; & quid facere nos oporteret, exempli sui conte-
Marc 1. 35 statione demonstrans, sicut scriptum est: *Ipse autem fuit se-*
Luc. 6. 12. *cedens in solitudinem, & adorans.* Et iterum: *Exiuit in montem orare, & fuit pernoctans in oratione Dei.* Quòd si ille orabat qui sine peccato erat, quanto magis peccatores oportet orare? Et si ille per totam noctem jugiter vigilans continuis precibus orabat, quanto nos magis in frequentanda oratione debemus nocte vigilare? Orabat autem Dominus,

& rogabat

& rogabat non pro se (quid enim pro se innocens precaretur?) sed pro delictis nostris; sicut & ipse declarat cùm dicit ad Petrum: *Ecce satanas expetiuit vt vos vexaret quo modo triticum: ego autem rogaui pro te, ne deficiat fides tua.* Luc. 22.31. Et postmodum pro omnibus Patrem deprecatur dicens: *Non pro his autem rogo solis, sed & pro illis qui credituri sunt per verbum ipsorum in me, vt omnes vnum sint, sicut tu, Pater, in me, & ego in te: vt & ipsi in nobis vnum sint.* Ioan. 17.20. Magna Domini propter salutem nostram benignitas pariter & pietas; vt non contentus quòd nos sanguine suo redimeret, adhuc pro nobis ampliùs & rogaret. Rogantis autem desiderium videte quod fuerit, vt quo modo vnum sunt Pater & Filius; sic & nos in ipsa vnitate maneamus: vt hinc quoque possit intelligi quantum delinquat, qui vnitatem scindit & pacem; cùm pro hoc & rogauerit Dominus, volens scilicet sic plebem suam saluam fieri & in pace viuere, cùm sciret ad regnum Dei discordiam non venire.

Orans nihil aliud quàm Deũ cogitare debet.

Quando autem stamus ad orationem, Fratres dilectissimi, vigilare & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis & secularis abscedat, nec quidquam tunc animus, quàm id solum cogitet quod precatur. Ideo & Sacerdos ante orationem Præfatione præmissa, parat fratrum mentes dicendo: *Sursum corda*; vt dum respondet plebs: *Habemus ad Dominum*, admoneatur nihil aliud se quàm Dominum cogitare debere. Claudatur contra aduersarium pectus, & soli Deo pateat, nec ad se hostem Dei, tempore orationis adire patiatur: obrepit enim frequenter & penetrat, & subtiliter fallens preces nostras à Deo auocat, vt aliud habeamus in corde, & aliud in voce, quando intentione sincera Dominum debeat non vocis sonus, sed animus & sensus orare. Quæ autem segnitia est alienari & rapi ineptis cogitationibus & profanis, cùm Dominum deprecaris; quasi sit aliud quod magis debeas cogitare quàm quòd cum Deo loqueris? Quomodo te audiri à Deo postulas, cùm te ipse non audias? Vis esse Deum memorem tui cùm rogas; quando tu ipse memor tui non sis? Hoc est, ab hoste in totum non cauere; hoc est, quando oras Deum, maiestatem Dei negligentiâ orationis offendere; hoc est, vigilare oculis & corde dormire: cùm debeat Christianus,

& cùm dormit oculis, corde vigilare; ſicut ſcriptum eſt ex
Cant. 5. 2. perſona Eccleſiæ loquentis in Cantico Canticorum: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Qua propter ſolicitè & cautè
Coloſſ. 4. 2. Apoſtolus admonet dicens: *Inſtate orationi vigilantes in ea*; docens, ſcilicet, & oſtendens, eos impetrare quod poſtulant de Deo poſſe, quos Deus videat in oratione vigilare.

Orationi eleemoſyna iungenda.

Orantes autem non infructuoſis, nec nudis precibus ad Deum veniant: inefficax petitio eſt, cùm precatur Deum ſterilis oratio. Nam cùm omnis arbor non faciens fructum excidatur, & in ignem mittatur: vtique & ſermo non ha-
Mat. 3. 10. bens fructum, promereri Deum non poteſt, qui nulla eſt operatione fæcundus. Et ideo ſcriptura diuina inſtruit di-
Tob. 12. 8. cens: *Bona eſt oratio cùm jejunio & eleemoſyna.* Nam qui in die judicij præmium pro operibus & eleemoſynis redditurus eſt; hodie quoque ad orationem cum operatione venienti benignus auditor eſt. Sic denique Cornelius Centu-
Act. 10. 2. rio, cùm oraret, meruit audiri: *Fuit faciens multas eleemoſynas in plebem & ſemper orans Deum; huic circa horam Nonam oranti aſtitit Angelus teſtimonium reddens ſui operis, & dicens: Corneli, orationes tuæ & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt ad memoriam coram Deo.* Citò orationes ad Deum aſcendunt, quas ad Deum merita noſtri operis imponunt. Sic & Raphaël Angelus Tobiæ oranti ſemper, & ſemper operanti, teſtis fuit
Tob. 12, 11. dicens: *Opera Dei reuelare & confiteri honorificum eſt. Nam quando orabas tu & Sarra, ego obtuli memoriam orationis veſtræ in conſpectum claritatis Dei. Et cùm ſepelires tu mortuos ſimpliciter: & quia non es cunctatus exſurgere & derelinquere prandium tuum, ſed abiſti & condidiſti mortuum, miſſus ſum tentare te; & iterum me miſit Deus curare te, & Sarram nurum tuam. Ego enim ſum Raphaël, vnus ex ſeptem Angelis iuſtis, qui aſſiſtimus & conuerſamur ante claritatem Dei.* Per Eſaïam quoque Domi-
Iſa. 58. 6. nus admonet & docet ſimilia conteſtans: *Solue*, inquit, *omnem nodum injuſtitiæ, reſolue ſuffocationes impotentium commerciorum. Dimitte quaſſatos in requiem, & omnem conſignationem injuſtam diſſipa. Frange eſurienti panem tuum, & egenos ſine tecto induc in domum tuam. Si videris nudum, veſti, & domeſticos ſeminis tui non deſpicies. Tunc erumpet temporaneum lumen tuum, & veſtimenta tua citò orientur, & præibit ante te juſtitia, & claritas Dei circundabit te. Tunc exclamabis & Deus exaudiet te,*

& dum adhuc loqueris, dicet: ecce adsum. Adesse se promittit; & audire ac protegere se eos dicit, qui injustitiæ nodos de corde soluentes, & eleemosynas circa domesticos Dei, secundum ejus præcepta facientes, dum audiunt quod Deus præcipit fieri, ipsi quoque à Deo merentur audiri. Beatus Apostolus Paulus in necessitate pressuræ adjutus à fratribus, opera bona quæ fiunt, sacrificia Dei dixit esse: *Saturatus sum*, inquit, *recipiens ab Epaphrodito ea quæ à vobis missa sunt, odorem suauitatis, sacrificium acceptum, & placitum Deo.* Nam quando quis miseretur pauperis, Deum fœnerat: & qui dat minimis, Deo donat, spiritaliter Deo suauitatis odorem sacrificat. *Phil. 4. 18.*

In orationibus verò celebrandis inuenimus obseruasse cum Daniele tres pueros in fide fortes & in captiuitate victores horam Tertiam, Sextam, Nonam, sacramento scilicet Trinitatis; quæ in nouissimis temporibus manifestari habebat. Nam & prima hora in tertiam veniens, consummatum numerum Trinitatis ostendit. Itémque ad sextam quarta procedens declarat alteram Trinitatem. Et quando à septimâ nona completur, per ternas horas Trinitas perfecta numeratur: quæ horarum spatia jam pridem spiritaliter determinantes adoratores Dei, statutis & legitimis ad precem temporibus seruiebant; & manifestata postmodum res est sacramenta olim fuisse; quòd antè sic justi precabantur. Nam super discipulos horâ Tertiâ descendit Spiritus-sanctus, qui gratiam Dominicæ repromissionis impleuit. Item Petrus horâ Sextâ in tectum superius ascendens, signo pariter & voce Dei monentis instructus est, vt omnes ad gratiam salutis admitteret, cùm de emundandis Gentilibus antè dubitaret. Et Dominus horâ Sextâ crucifixus, ad Nonam peccata nostra sanguine suo abluit, & vt redimere & viuificare nos posset, tunc victoriam suam passione perfecit.

Non horis tantùm ab Ecclesia statutis sed semper orãdum.

Act. 2. 1. *Act. 10. 9.* *Luc. 23. 44.*

Sed nobis, Fratres dilectissimi, præter horas antiquitus obseruatas, orandi nunc & spatia & sacramenta creuerunt. Nam & manè orandum est, vt Resurrectio Domini matutinâ oratione celebretur. Quod olim Spiritus-sanctus designabat in Psalmis dicens: *Rex meus & Deus meus, quoniam ad te orabo, Domine; manè exaudies vocem meam: manè assistam tibi, & contemplabor te.* Et iterum per Prophetam lo- *Psal. 5. 4.*

Ose. 6. 1. quitur Dominus: *Diluculo vigilabunt ad me dicentes: Eamus & reuertamur ad Dominum Deum nostrum.* Recedente item sole ac die cessante necessariò rursus orandum est. Nam quia Christus sol verus, & dies est verus, sole ac die seculi recedente, quando oramus & petimus vt super nos lux denuò veniat, Christi precamur aduentum, lucis æternæ gratiam præbiturum. Christum autem diem dictum declarat in Ps. 117. 22. Psalmis Spiritus-sanctus; *Lapis*, inquit, *quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: à Domino factus est iste & est admirabilis in oculis nostris. Iste est dies quem fecit Dominus, ambulemus & jucundemur in eo.* Item quòd sol appellatus sit, Malachias Mal. 4. 2. Propheta testatur dicens: *Vobis autem, qui timetis nomen Domini, orietur sol justitiæ, & in alis ejus curatio est.*

Quòd si in scripturis sanctis sol verus, & dies verus est Christus; hora nulla à Christianis excipitur, quominùs frequentèr ac semper Deus debeat adorari; vt qui in Christo, hoc est, in sole & in die vero sumus; insistamus per totum diem precibus & oremus: & quando mundi lege decurrens vicibus alternis nox reuoluta succedit, nullum de nocturnis tenebris esse orantibus damnum potest, quia filiis lucis & in noctibus dies est. Quando enim sine lumine est, cui lumen in corde est? Aut quando sol ei & dies non est, cui sol & dies Christus est? Qui autem in Christo, hoc est, in lumine semper sumus, nec noctibus ab oratione cessemus. Sic Anna vidua sine intermissione rogans semper & vigilans, perseuerabat in promerendo Deo sicut in Euan-Luc. 2. 37. gelio scriptum est: *Non recedebat*, inquit, *de templo, jejuniis & orationibus seruiens nocte ac die.* Viderint vel Gentiles, qui necdum illuminati sunt: vel Iudæi, qui deserti lumine in tenebris remanserunt. Nos, Fratres dilectissimi, qui in Domini luce semper sumus, qui meminimus & tenemus, quid esse acceptâ gratiâ cœperimus; computemus noctem pro die. Ambulare nos credamus semper in lumine; non impediamur à tenebris quas euasimus; nulla sint horis nocturnis precum damna; nulla orationum pigra & ignaua dispendia. Per Dei indulgentiam recreati spiritaliter & renati imitemur quod futuri sumus: habituri in regno sine interuentu noctis solum diem; sic nocte, quasi in lumine vigilemus: oraturi semper & acturi gratias Deo; hîc quoque orare, & gratias agere non desinamus.

DE BONO PATIENTIÆ.

DE patientia locuturus, Fratres dilectissimi, & vtilitates ejus & commoda prædicaturus, vnde potiùs incipiam, quàm quòd nunc quoque ad audientiam, vestram patientiam video esse necessariam; vt nec hoc ipsum, quod auditis & discitis, sine patientia facere possitis. Tunc enim demum sermo & ratio salutaris efficaciter discitur, si patienter quod dicitur audiatur. Nec inuenio, Fratres dilectissimi, inter cæteras cælestis disciplinæ vias, quibus ad consequenda diuinitus præmia spei ac fidei nostræ secta dirigitur, quid magis sit vel vtilius ad vitam, vel majus ad gloriam; quàm vt qui præceptis Dominicis obsequio timoris ac deuotionis innitimur, patientiam maximè tota obseruatione tueamur. Hanc se sectari Philosophi quoque profitentur, sed tam illic patientia falsa est, quàm & falsa sapientia est. Vnde enim vel sapiens esse vel patiens possit, qui nec sapientiam, nec patientiam Dei nouit? quando ipse de iis qui sibi sapere in mundo videntur, moneat & dicat: *Perdam sapientiam sapientium, prudentiam prudentium reprobabo.* Item Beatus Apostolus Paulus plenus Spiritu sancto, & vocandis formandisque Gentibus missus, contestetur & instruat, dicens: *Videte ne quis vos deprædetur per Philosophiam & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum, quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis.* Et alio loco: *Nemo se*, inquit, *decipiat: Si quis putat sapientem se esse in vobis, mundo huic stultus fiat, vt fiat sapiens. Sapientia enim mundi hujus, stultitia est apud Deum. Scriptum est enim: Reprehendam sapientes in astutia ipsorum.* Et iterum: *Cognouit Dominus cogitationes sapientium, quia sunt stultæ.* Quare si sapientia illic vera non est, esse non potest & vera patientia. Nam si sapiens ille est, qui

Patientia præ cæteris virtutibus necessaria.

Philosophorum patientia falsa.

Isa. 29. 14

1. Cor. 1. 19

Coloss. 2. 8.

1. Cor. 3. 18.

Ps. 93. 11.

eſt humilis & mitis; Philoſophos autem nec humiles videmus eſſe nec mites, ſed ſibi multùm placentes, & hoc ipſo, quòd ſibi placeant, Deo diſplicentes: apparet illîc veram non eſſe patientiam, vbi ſit inſolens affectatæ libertatis audacia, & exerti ac ſeminudi pectoris inuerecunda jactantia.

Patientia Chriſtiana.

Nos autem, Fratres dilectiſſimi, qui Philoſophi non verbis ſed factis ſumus, nec veſtitu ſapientiam, ſed veritate præferimus; qui virtutum conſcientiam magis quàm jactantiam nouimus; qui non loquimur magna, ſed viuimus; quaſi ſerui & cultores Dei, patientiam, quam magiſteriis cæleſtibus diſcimus, obſequiis ſpiritalibus præbeamus. Eſt enim nobis cum Deo virtus iſta communis. Inde patientia incipit, inde claritas ejus & dignitas caput ſumit. Origo & magnitudo patientiæ Deo auctore procedit. Diligenda res homini, quæ Deo chara eſt. Bonum quod amat, majeſtas diuina commendat. Si dominus nobis & pater Deus eſt, ſectemur patientiam domini pariter & patris: quia & ſeruos oportet eſſe obſequentes, & filios non decet eſſe degeneres.

Patientia Dei quãta.

Qualis verò in Deo & quanta patientia, quòd in contumeliam ſuæ majeſtatis & honoris inſtituta ab hominibus profana templa, & terrena figmenta, & ſacra ſacrilega patientiſſimè ſuſtinens, ſuper bonos & malos æqualiter facit diem naſci, & lumen ſolis oboriri; & cùm imbribus terras rigat, nemo à beneficiis ejus excluditur, quominùs juſtis ſimiliter & injuſtis diſcretas pluuias largiatur. Videmus inſeparabili æqualitate patientiæ, nocentibus & innoxiis, religioſis & impiis, gratias agentibus & ingratis, Dei nutu tempora obſequi, elementa famulari, ſpirare ventos, fontes fluere, grandeſcere copias meſſium, fructus miteſcere vinearum, exuberare pomis arbuſta, nemora frondeſcere, prata florere. Et cùm crebris, immò continuis exacerbetur offenſis Deus, indignationem ſuam temperat, & præſtitutum ſemel retributionis diem patienter expectat. Cúmque habeat in poteſtate vindictam, mauult diu tenere patientiam; ſuſtinens ſcilicet clementer & differens, vt ſi fieri poteſt, multùm malitia protracta aliquando mutetur; & homo in errorum & ſcelerum contagione volutatus, vel ſerò ad Dominum conuertatur, ipſo monente & di-

cente : *Nolo mortem morientis, quantùm vt reuertatur & viuat*; Et iterum Propheta : *Reuertimini ad Dominum Deum vestrum, quoniam misericors & pius est, & patiens, & multæ miserationis, & qui sententiam flectat aduersus malitias arrogatas.* Quod item Beatus Apostolus Paulus commemorans, & peccatorem ad pœnitentiam reuocans, proponit & dicit? *An nunquid opulentiam bonitatis ejus, & sustinentiæ & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam patientia & bonitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam tuam & cor impœnitens, thesaurisas tibi iram in die iræ, & reuelationis justi judicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera sua.* Iustum judicium Dei dixit esse, quia serum est, quia diu multúmque differtur; vt homini ad vitam longâ Dei patientiâ consulatur. Tunc repræsentatur pœna impio & peccatori, quando jam non potest pœnitentia prodesse peccanti. Ezec.18.24. &33.11. Iohel.2.13. Rom.2.4.

Atque vt pleniùs intelligere possimus, Fratres dilectissimi, quia patientia, Dei res est; & quisquis lenis & patiens & mitis est, Dei patris imitator est; cùm in Euangelio suo Dominus præcepta in salutem daret, & diuina monita depromens ad perfectum discipulos erudiret, posuit & dixit : *Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, & orate pro eis qui vos persequuntur, vt sitis filij Patris vestri qui in cælis est: qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos. Si enim dilexeritis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne sic & publicani faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantùm, quid ampliùs facitis? nonne & Ethnici idipsum faciunt? Estote itaque vos perfecti, sicut pater vester cælestis perfectus est.* Sic perfectos dixit fieri Dei Filios, sic consummari ostendit & docuit cælesti natiuitate reparatos; si patientia Dei patris maneat in nobis, si similitudo diuina, quam peccato Adam perdiderat, manifestetur & luceat in actibus nostris. Quæ gloria est similem Deo fieri, qualis & quanta felicitas, habere in virtutibus, quod diuinis laudibus possit æquari? Mat.5.43. Leu.19.18.

Nec hoc, Fratres dilectissimi, IESVS-CHRISTVS Deus & Dominus noster tantùm verbis docuit, sed impleuit & factis. Et quia ad hoc descendisse se dixerat, vt voluntatem Patientia Christi quanta.

patris faceret; inter cætera admirabilia virtutum suarum, quibus jndicia diuinæ majestatis expressit, paternam quoque patientiam tolerantiæ tenore seruauit: omnes denique actus ejus ab ipso statim aduentu patientiâ comite signantur; quòd primùm de illa sublimitate cælesti ad terrena descendens, non aspernatur Dei Filius carnem hominis induere; &, cùm peccator ipse non esset, aliena peccata portare. Immortalitate interim posita, fieri se & mortalem patitur, vt innocens pro nocentium salute perimatur. Do-
Mat. 3. 13. minus baptisatur à seruo, & remissam peccatorum daturus, ipse non dedignatur lauacro regenerationis corpus abluere.
Mat. 4. 2. Diebus quadraginta jejunat, per quem cæteri saginantur, esurit, & famem sentit, vt qui in fame sermonis & gratiæ fuerant, cælesti pane saturentur. Cum diabolo tentante congreditur, & inimicum tantùm vicisse contentus, nihil
Ioan. 13. vltra verba conatur. Discipulis non vt seruis dominica potestate præfuit, sed benignus & mitis fraterna eos charitate dilexit. Dignatus est etiam pedes Apostolorum lauare; vt dum circa seruos talis est Dominus, exemplo suo doceret, qualis circa compares & æquales debeat esse conseruus. Nec mirandum, quòd circa obedientes talis extiterit, qui Iudam potuit vsque ad extremum longâ patientiâ sustinere, cibum cum inimico sumere, hostem domesticum scire nec palam ostendere, traditoris osculum non recusare. In Iudæis verò tolerandis æquanimitas quanta, & quanta patientia? incredulos ad fidem suadendo flectere, obsequio ingratos fouere, contradicentibus respondere leniter, superbos sustinere clementer, humiliter persequentibus cedere; Prophetarum interfectores & aduersum Deum semper rebelles, vsque ad crucis & passionis horam, velle colligere. Sub ipsa autem passione & cruce, priusquàm ad crudelitatem necis & effusionem sanguinis veniretur, quæ conuiciorum probra patienter audita, quæ contumeliarum tolerata ludibria; vt insultantium sputamina patienter exci-
Ioan. 9. 6. peret, qui sputo suo cæci oculos paulò antè formasset; & in cujus nomine à seruis nunc ejus diabolus cum Angelis suis flagellatur, flagella ipse pateretur; coronaretur spinis, qui Martyres floribus coronat æternis; palmis in faciem verberaretur, qui palmas veras vincentibus tribuit;

tribuit; spoliaretur veste terrena, qui indumento immortalitatis cæteros vestit; cibaretur felle, qui cibum cælestem dedit; aceto potaretur, qui salutare poculum propinauit: Ille innocens, ille justus, immò innocentia ipsa, & ipsa justitia, inter facinorosos deputatur, & testimoniis falsis veritas premitur; judicatur judicaturus, & Dei sermo ad victimam tacens ducitur. Et cùm ad crucem Domini confundantur sidera, elementa turbentur, contremiscat terra, nox diem claudat; sol, ne Iudæorum facinus aspicere cogatur, & radios & oculos suos subtrahat: ille non loquitur, nec mouetur, nec majestatem suam sub ipsa saltem passione profitetur: vsque ad finem perseueranter ac jugiter tolerantur omnia, vt consummetur in Christo plena & perfecta patientia. Et post ista omnia, adhuc interfectores suos, si conuersi ad eum venerint, suscipit; & patientia salutari ad conseruandum benignus & patiens, Ecclesiam suam nemini cludit: illos aduersarios, illos blasphemos, illos nominis sui semper inimicos, si pœnitentiam delicti agant, si admissum facinus agnoscant, non solùm ad indulgentiam criminis, sed & ad præmium regni cælestis admittit. Quid potest patientius, quid benignius dici? viuificatur Christi sanguine, etiam qui fudit sanguinem Christi. Talis est Christi ac tanta patientia; quæ nisi talis ac tanta existeret, Paulum quoque Apostolum Ecclesia Dei non haberet. Quòd si & nos, Fratres dilectissimi, in Christo sumus, si ipsum induimus, si ipse est salutis nostræ via; qui Christum vestigiis salutaribus sequimur, per Christi exempla gradiamur; sicut Ioannes Apostolus instruit dicens: *Qui dicit se in Christo manere, debet quo modo ille ambulauit, & ipse ambulare.* Item Petrus, super quem Ecclesia, Domini dignatione fundata est, in Epistola sua ponit & dicit: *Christus passus est pro nobis, relinquens vobis exemplum vt sequamini vestigia ejus; qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore ejus; qui cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur. Tradebat autem se judicanti se injustè.*

1. Ioan. 2. 6.

1 Petr. 2. 21.

Patientia justorum qualis.

Inuenimus denique & Patriarchas, & Prophetas, & justos omnes, qui figuram Christi imagine præeunte portabant, nihil magis custodisse in laude virtutum suarum, quàm quòd patientiam forti & stabili æquanimitate tenuerunt:

Gen. 4. 8. Sic Abel, originem martyrij & passionem iusti hominis initians primus & dedicans, aduersus fratrem parricidam non resistit, nec reluctatur; sed humilis & mitis patienter occiditur. Sic Abram Deo credens, & radicem ac fundamentum fidei primus instituens; Gen. 22. tentatus in filio, non dubitat neque cunctatur, sed præceptis Dei totâ patientiâ deuotionis obsequitur. Et Isaac ad hostiæ Dominicæ similitudinem præfiguratus; quando à patre immolandus offertur, patiens inuenitur. Gen 27.42. & 32. 21. Et Iacob fugatus à fratre, de terra sua patienter excedit; & majore patientia postmodum supplex, adhuc magis impium & persecutorem muneribus pacificis ad concordiam redigit. Gen. 37.28. Ioseph venundatus à fratribus & relegatus; Gen. 45. non tantùm patienter ignoscit, sed & gratuita frumenta venientibus largiter & clementer impertit. Exod. 32. Moyses ab ingrato & perfido populo contemnitur frequenter, & penè lapidatur, & tamen lenis & patiens pro iisdem Dominum deprecatur. In Dauid verò, ex quo secundum carnem Christi natiuitas oritur, quàm magna & mira & Christiana patientia; 1. Reg. 20. & 24. habuisse in manu sæpè vt Saül Regem persequentem se, & interficere concupiscentem posset occidere; & tamen subditum sibi, & traditum maluisse seruare, nec rependisse inimico vicem, 2. Reg. 1. 15. sed occisum adhuc insuper & vindicasse? Tot denique Prophetæ interfecti; tot Martyres gloriosis mortibus honorati, qui omnes ad cælestes coronas patientiæ laude venerunt. Neque enim potest accipi dolorum & passionum corona, nisi præcedat in dolore & passione patientia.

Patientia vtilis est ac necessaria.

Quàm sit autem patientia vtilis & necessaria, Fratres dilectissimi, vt manifestiùs possit & pleniùs nosci; Dei sententia cogitetur, quam in origine statim mundi & generis humani, Adam præcepti immemor, & datæ legis transgressor accepit: tunc sciemus quàm patientes esse in isto seculo debeamus, qui sic nascimur, vt pressuris istic & conflictationibus laboremus. Gen. 3. 17. *Quia audisti*, inquit, *vocem mulieris tuæ, & manducasti ex illa arbore, de qua sola præceperam tibi ne manducares, maledicta terra erit in omnibus operibus tuis. In tristitia & gemitu edes ex ea, omnibus diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos ejiciet tibi, & edes pabulum agri. In sudore vultus tui edes panem tuum, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es,*

quia terra es, & in terram ibis. Hujus ſententiæ vinculo colligati omnes & conſtricti ſumus, donec expuncta morte de iſto ſeculo recedamus. In triſtitia & gemitu ſimus neceſſe eſt omnibus diebus vitæ noſtræ. Edamus panem neceſſe eſt cum ſudore, & labore. Vnde vnuſquiſque noſtrum cùm naſcitur, & hoſpitio mundi hujus excipitur, initium ſumit à lachrymis: & quamuis adhuc omnium neſcius & ignarus, nihil aliud nouit in illa ipſa prima natiuitate, quàm flere: prouidentia naturali lamentatur vitæ mortalis anxietates; & labores, & procellas mundi, quas ingreditur, in exordio ſtatim ſuo, ploratu & gemitu rudis anima teſtatur. Sudatur enim quandiu iſtic viuitur & laboratur. Nec ſudantibus & laborantibus poſſunt alia magis quàm patientiæ ſubuenire ſolatia: quæ cùm apta ſint & neceſſaria in iſto mundo vniuerſis; tum magis nobis, qui diabolo impugnante plùs quatimur, qui in acie quotidie ſtantes, inueterati & exercitati hoſtis colluctationibus fatigamur; quibus præter varias & aſſiduas tentationum pugnas, in perſecutionum quoque certamine patrimonia relinquenda ſunt, ſubeundus carcer, portandæ catenæ, animæ impendendæ; gladius, beſtiæ, ignes, cruces, omnia denique tormentorum ac pœnarum genera, fide & virtute patientiæ perferenda, Domino ipſo inſtruente & dicente: *Hæc locutus ſum vobis, vt in me pacem habeatis: in mundo autem preſſuram habebitis, ſed fidite: quoniam ego vici mundum.* Ioan. 16. 33. Si autem qui diabolo & mundo renuntiauimus, preſſuras & infeſtationes diaboli & mundi crebriùs ac violentiùs patimur; quanto magis patientiam tenere debemus, qua adjutrice & comite omnia infeſta toleremus; Domini & magiſtri ſalutare præceptum eſt: *Qui tolerauerit*, inquit, *vſque ad finem, hic ſaluus erit*; Mat. 10. 22. & iterum: *Si permanſeritis*, inquit, *in verbo meo, verè diſcipuli mei eritis, & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Ioan. 8. 31.

Tolerandum & perſeuerandum eſt, Fratres dilectiſſimi, vt ad ſpem veritatis & libertatis admiſſi, ad veritatem & libertatem ipſam peruenire poſſimus: quia hoc ipſum, quòd Chriſtiani ſumus, fidei & ſpei res eſt; vt autem ſpes & fides ad fructum ſui poſſint peruenire, patientiâ opus eſt. Non enim præſentem gloriam ſequimur, ſed futuram;

Patientia nos ad bona promiſſa prouehit.

Rom. 8. 24. quod Paulus Apostolus monet dicens: *Spe saluati sumus, spes autem quæ videtur non est spes: quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus*: propterea expectatio & patientia necessaria est, vt id, quod esse cœpimus, impleamus: & quod credimus, & speramus, Deo præstante capiamus. Denique alio in loco idem Apostolus, justos & operantes, & diuini fœnoris incremento cælestes thesauros sibi recondentes, vt patien-
Galat. 6. 9. tes quoque sint, instruit & docet dicens: *Ergo dum tempus habemus, operemur quod bonum est ad omnes, maximè verò ad domesticos fidei. Bonum autem facientes non deficiamus: tempore enim suo metemus.* Admonet ne quis impatiens in operatione deficiat, ne quis tentationibus aut auocatus, aut victus, in medio laudis & gloriæ itinere desistat; & pereant præterita, dum quæ cœperant, desinunt esse perfecta; sicut scriptum est: *Iustitia justi non liberabit eum in quacunque die exer-*
Ezech 33. 12 *rauerit.* Et iterum: *Tene quod habes, ne alius accipiat coro-*
Apoc. 3. 11. *nam tuam.* Quæ vox adhortatur patienter & fortiter perseuerare; vt qui ad coronam laude jam proxima nititur, durante patientia coronetur.

Patientia vitia domat. Patientia autem, Fratres dilectissimi, non tantùm bona custodit, sed & repellit aduersa. Spiritui sancto fauens, & cælestibus ac diuinis cohærens; contra facta carnis & corporis, quibus anima expugnatur & capitur, virtutum suarum propugnaculo reluctatur. Inspiciamus denique pauca de multis, vt de paucis intelligantur & cætera. Adulterium, fraus, homicidium, mortale crimen est. Sit fortis & stabilis in corde patientia; & nec adulterio sanctificatum corpus & Dei templum polluitur, nec justitiæ dicata innocentia, contagione fraudis inficitur; nec post gestatam Eucharistiam, manus gladio & cruore maculatur.

Charitatem fouet. Charitas fraternitatis vinculum est, fundamentum pacis, tenacitas ac firmitas vnitatis, quæ & spe & fide major est; quæ & opera & martyria præcedit; quæ nobiscum semper æterna apud Deum in regnis cælestibus permanebit. Tolle illi patientiam, & desolata non durat. Tolle sustinendi tolerandíque substantiam, & nullis radicibus ac viribus perseuerat. Apostolus denique, cùm de charitate loqueretur,
1. Cor. 13. 4. tolerantiam illi & patientiam junxit: *Charitas*, inquit, *ma-*

gnanima est, charitas benigna est, charitas non æmulatur, non inflatur, non irritatur, non cogitat malum, omnia diligit, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Ostendit inde illam perseuerare tenaciter posse, quòd norit omnia sustinere; Et alio in loco: *Sustinentes*, inquit, *inuicem in dilectione, satis agentes seruare vnitatem spiritus in conjunctione pacis*: probauit nec vnitatem seruari posse nec pacem, nisi se inuicem fratres mutuâ tolerantiâ foueant, & concordiæ vinculum patientiâ intercedente custodiant. *Eph. 4. 2.*

Quid deinde, vt non jures, neque maledicas; vt tua ablata non repetas; vt acceptâ alapâ & alteram maxillam verberanti præbeas; vt fratri in te peccanti non tantùm septuagies septies, sed & omnia omnino peccata dimitas; vt diligas inimicos tuos, vt pro aduersariis & persecutoribus precem facias: Poterisne ista perficere, nisi patientiæ & tolerantiæ firmitate? Quod factum videmus in Stephano, qui cùm à Iudæis vi & lapidibus necaretur, non sibi vindictam, sed interfectoribus veniam postulabat dicens: *Domine ne statuas illis hoc peccatum* Sic esse oportuit primum Martyrem Christi, qui Martyras secuturos gloriosa morte præcurens, non tantùm Dominicæ Passionis prædicator esset, sed & patientissimæ lenitatis imitator.

Patientia nos ad mãdata Dei seruanda roborat.

Act. 7. 59.

Quid dicam de ira, de discordia, de simultate, quæ in Christiano esse non debent, sit patientia in pectore, & hæc illìc locum habere non possunt: aut si adire tentauerint, citò exclusa discedunt, vt domicilium pacificum perseueret in corde, vbi Deum pacis delectet habitare. Admonet denique Apostolus & docet dicens: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis. Omnis amaritudo & ira, & indignatio, & clamor & blasphemia auferatur à vobis.* Si enim Christianus à furore & contentione carnali, tanquam de maris turbinibus excessit, & tranquillus ac lenis in portu Christi esse jam cœpit; nec iram, nec discordiam debet intra pectus admittere, cui nec malum pro malo reddere liceat, nec odisse. *Eph 4 30.*

Nec non ad varia quoque carnis in commoda, & crebros corporis duròsque cruciatus, quibus humanum genus quotidie fatigatur & quatitur, patientia necessaria est. Nam cùm in illa prima transgressione præcepti, firmitas corporis

cum immortalitate discesserit; & cum morte infirmitas venerit, nec possit firmitas recipi, nisi cùm recepta & immortalitas fuerit: oportet in hac fragilitate atque infirmitate corporea luctari semper & congredi; quæ luctatio & congressio non nisi patientiæ viribus potest sustineri. Examinandis autem nobis atque explorandis diuersi importantur dolores, & multiplex tentationum qualitas irrogatur, de jacturis facultatum, de ardoribus febrium, de cruciatibus vulnerum, de amissione carorum. Nec aliud magis inter injustos discernit & justos; quàm quòd in aduersis per impatientiam queritur & blasphemat injustus, patientiâ justus probatur, sicut scriptum est: *In dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum & argentum.* Sic Iob examinatus est & probatus, & ad summum fastigium laudis patientiæ virtute prouectus. Quanta aduersus eum diaboli jacula emissa? quanta admota tormenta? jactura rei familiaris infligitur; numerosæ sobolis orbitas irrogatur: diues in censu dominus, & in liberis pater ditior; nec dominus repentè, nec pater est: accedit vulnerum vastitas, & tabescentes ac fluentes artus edax quoque vermium pœna consumit. Ac ne quid omnino remaneret, quod non Iob in suis tentationibus experiretur, armat diabolus & vxorem; illo antiquo nequitiæ suæ vsus ingenio, quasi omnes per mulierem decipere posset & fallere, quod fecit in mundi origine: tamen Iob grauibus ac densis conflictationibus frangitur; quominùs inter illas angustias & pressuras suas Dei benedictio victrice patientiâ prædicetur. Tobias quoque post justitiæ & misericordiæ suæ opera magnifica, luminum amissione tentatus; in quantùm patienter cæcitatem pertulit, in tantùm granditer Deum patientiæ laude promeruit.

Eccl. 2. 4. — *Iob. 1.* — *Iob. 2.* — *Tob. 2.*

Impatientia quantū malum sit.

Atque vt magis, Fratres dilectissimi, patientiæ bonum luceat; quid mali è contrario impatientia importet, consideremus. Nam vt patientia bonum Christi est, sic contrà impatientia diaboli malum: & sicut, in quo habitat & manet Christus, patiens inuenitur, ita impatiens semper existit, cujus mentem diaboli nequitia possidet. Exordia denique ipsa videamus. Diabolus hominem ad imaginem Dei factum impatienter tulit; inde & periit primus, & perdidit.

Adam contra cœleste præceptum cibi lethalis impatiens, in mortem cecidit; nec acceptam diuinitus gratiam patientia custode seruauit: & vt fratrem Caïn perimeret, sacrificij ejus & muneris impatiens fuit: & quòd Esaü de majoribus ad minora descendit, primatus suos per impatientiam lentis amisit. Quid? Iudaïcus populus circa beneficia diuina perfidus & ingratus, nonne quòd à Deo primùm recessit, impatientiæ crimen fuit; dum Moïsi cum Deo conloquentis moras non potest ferre, profanos Deos ausus est postulare; vt itineris sui duces nuncuparet caput bubulum, & terrestre figmentum: nec vnquam ab eadem impatientia destitit, quominùs semper docilitatis & diuinæ admonitionis impatiens, Prophetas suos & justos quosque perimendo, ad crucem quoque & sanguinem Domini prosiliret? Impatientia etiam & in Ecclesia hæreticos facit, & ad Iudæorum similitudinem contra Christi pacem & charitatem rebelles, ad hostilia & furiosa odia compellit. Et ne longum sit singula recensere; omnia omnino, quæ patientia operibus suis ædificat ad gloriam, impatientia destruit ad ruinam.

Gen. 3. *Gen. 4.* *Gen. 25. 31.* *Exod. 32.*

Quare, Fratres dilectissimi, & bonis patientiæ, & impatientiæ malis diligenter expensis, patientiam, per quam in Christo manemus, vt venire cum Christo ad Deum possimus, plena obseruatione teneamus; quæ copiosa & multiplex non angusto fine concluditur, nec breuibus terminis coërcetur. Latè patet patientiæ virtus, & vbertas ejus & largitas de vnius quidem nominis fonte proficiscitur, sed exundantibus venis per multa gloriarum itinera diffunditur; nec proficere aliquid in actibus nostris potest ad consummandam laudem, nisi inde consummationis accipiat firmitatem. Patientia est, quæ nos Deo & commendat & seruat: ipsa est, quæ iram temperat, quæ linguam frænat, quæ mentem gubernat, pacem custodit, disciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium simultatis extinguit, coërcet potentiam diuitum, inopiam pauperum refouet: tuetur in virginibus beatam integritatem, in viduis laboriosam castitatem, in conjunctis & maritatis indiuiduam charitatem: facit humiles in prosperis, in aduersis fortes, contra injurias & contumelias

Patientiæ elogium.

mites: docet delinquentibus citò ignoſcere; ſi ipſe delinquas, diu & multùm rogare: tentationes expugnat, perſecutiones tolerat, paſſiones & martyria conſummat. Ipſa eſt quæ fidei noſtræ fundamenta firmiter munit: ipſa eſt quæ incrementa ſpei ſublimiter prouehit: ipſa actum dirigit, vt tenere poſſimus viam Chriſti, dum per ejus tolerantiam gradimur: ipſa efficit vt perſeueremus filij Dei, dum patientiam patris imitamur.

Deo permittenda, non nobis arroganda vltio.

Sed quoniam plurimos ſcio, Fratres dilectiſſimi, vel pondere injuriarum angentium, vel dolore, de iis qui aduerſum ſe graſſantur & ſæuiunt, vindicari velociter cupere, nec in illum extremi judicij diem malorum retributionem differre; nobiſcum hortamur interim amplectimini patientiæ bonum, vt in iſtis fluctuantis mundi turbinibus, & Iudæorum ſiue Gentilium & hæreticorum quoque perſecutionibus conſtituti, patienter expectemus vltionis diem, nec vindictam doloris noſtri querula & inuidioſa feſtinatione properemus: cùm ſcriptum ſit: *Expecta me*, dicit Dominus, *in die reſurrectionis meæ in teſtimonium, quoniam judicium meum ad congregationes gentium, vt excipiam reges, & effundam ſuper eos iram meam.* Expectare nos jubet Dominus, & futuræ vltionis diem forti patientia ſuſtinere: qui & in Apocalypſi loquitur dicens: *Ne ſignaueris verba Prophetiæ libri hujus, quia jam tempus in proximo eſt, vt & ij qui perſeuerant nocere, noceant, & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc: juſtus autem adhuc juſtiora faciat, ſimiliter & qui ſanctus eſt, ſanctiora. Ecce venio citò, & merces mea mecum eſt, reddere vnicuique ſecundum facta ſua.* Vnde etiam clamantes Martyres, & ad vindictam ſuam dolore erumpente properantes, expectare adhuc jubentur, & temporibus conſummandis, implendiſque Martyribus præbere patientiam: *Et cùm aperuiſſet*, inquit, *quintum ſigillum, vidi ſub ara Dei animas occiſorum propter verbum Dei & martyrium ſuum, & clamauerunt voce magna dicentes: Quouſque, Domine ſanctus & verus, non iudicas & vindicas ſanguinem noſtrum, de iis qui in terris inhabitant? Et datæ ſunt eis ſingulæ ſtolæ albæ, & dictum eſt eis vt requieſcerent breui adhuc tempore, donec impleatur numerus conſeruorum & fratrum eorum, qui poſtea occidentur exemplo ipſorum.* Quando autem veniat ſanguinis juſti diuina vindicta, declarat

Soph. 3. 8.

Apoc. 22. 10

Apoc. 6. 9.

rat per Malachiam Prophetam Spiritus-ſanctus dicens : *Ecce dies Domini venit ardens velut clibanus, eruntque omnes* *Mal. 4. 1.* *alienigenæ & omnes iniqui ſtipula, & ſuccendet illos adueniens dies, dicit Dominus.* Quod item legimus in Pſalmis, vbi Dei judicis prædicatur aduentus cenſuræ ſuæ majeſtate venerandus. *Deus manifeſtus veniet, Deus noſter, & non ſilebit.* *Pſal. 49. 3.* *Ignis ante eum ardebit, & in circuitu ejus procella nimia, aduocabit cælum ſurſum, & terram deorſum; vt ſeparet populum ſuum. Colligite illi juſtos ejus, eos qui diſponunt teſtamentum ejus in ſacrificiis : & annuntiabunt cæli juſtitiam ejus, quoniam Deus judex eſt.* Et Eſaïas eadem prænuntiat dicens : *Ecce* *Iſa. 66. 15.* *enim Dominus ſicut ignis veniet, & ſicut procella currus ejus, retribuere in ira vindictam : in igne enim Domini judicabuntur, & in gladio ejus vulnerabuntur.* Et iterum : *Dominus Deus* *Iſa. 42. 13.* *virtutum prodibit & comminuet bellum, excitabit certamen, & clamabit ſuper inimicos ſuos cum fortitudine : Tacui, nunquid ſemper tacebo ?* Quis autem eſt hic qui tacuiſſe ſe priùs dicit, & non ſemper tacebit? vtique ille *qui ſicut ouis ad vi-* *Iſa. 53. 7.* *ctimam ductus eſt, & ſicut agnus coram tondente ſe, ſine voce, non aperuit os ſuum :* vtique ille qui non clamauit; neque in plateis vox ejus audita eſt; vtique ille qui non fuit con- *Iſa. 50. 5.* tumax, neque contradixit, cùm dorſum ſuum poneret ad flagella, & maxillas ad palmas; faciem autem ſuam non auertit à fœditate ſputorum; vtique ille, qui cùm accuſaretur à Sacerdotibus & ſenioribus, nihil reſpondit; & ad- *Mat. 27. 12.* mirante Pilato patientiſſimum ſilentium tenuit. Hic eſt qui cùm in paſſione tacuerit, in vltione poſtmodum non tacebit. Hic eſt Deus noſter, id eſt, non omnium, ſed fidelium & credentium Deus; qui, cùm in ſecundo aduentu manifeſtus venerit, non ſilebit : nam cùm in humilitate priùs fuerit occultus, veniet in poteſtate manifeſtus. Hunc expectemus, Fratres dilectiſſimi, judicem & vindicem noſtrum ? Eccleſiæ ſuæ populum, & ab initio mundi juſtorum omnium numerum ſecum pariter vindicaturum. Qui ad vindictam ſuam nimiùm feſtinat & properat, conſideret, quia necdum vindicatus eſt ipſe, qui vindicat. Pater Deus præcepit filium ſuum adorari, & Apoſtolus Paulus diuini præcepti memor ponit & dicit : *Deus exaltauit illum,* *Phil. 2. 9.* *& donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen; vt in nomine*

IESV *omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum:* & in Apocalypsi Angelus Ioanni volenti adorare se resistit & dicit: *Vide ne feceris, quia conseruus tuus sum & fratrum* Apoc.19.10. *tuorum.* IESVM *Dominum adora.* Qualis Dominus IESVS & quanta patientia ejus, vt qui in cælis adoratur, necdum vindicetur in terris? Hujus patientiam, Fratres dilectissimi, in persecutionibus & passionibus nostris cogitemus. Hujus aduentui plenum expectationis obsequium præbeamus. Nec defendi ante Dominum serui irreligiosa & inuerecunda festinatione properemus. Insistamus potiùs & elaboremus, & toto corde vigilantes; atque ad omnem tolerantiam stabiles Dominica præcepta seruemus; vt cùm ille iræ & vindictæ dies venerit, non cum impiis & peccatoribus puniamur, sed cum justis & Deum timentibus honoremur.

DE MORTALITATE.

ET si apud plurimos vestrum, Fratres dilectissimi, mens solida est, & fides firma, & anima deuota, quæ ad præsentis mortalitatis copiam non mouetur, sed tanquam petra fortis & stabilis turbidos impetus mundi, & violentos seculi fluctus frangit potiùs ipsa, nec frangitur, & tentationibus non vincitur, sed probatur: tamen quia animaduerto in plebe quosdam vel imbecillitate animi, vel fidei paruitate, vel dulcedine secularis vitæ, vel sexus mollitie, vel, quod majus est, veritatis errore minùs stare fortiter, nec pectoris sui diuinum atque inuictum robur exerere; dissimulanda res non fuit nec tacenda, quominùs, quantum nostra mediocritas potest, vigore pleno & sermone de Dominica lectione concepto, delicatæ mentis ignauia comprimatur, & qui homo Dei & Christi esse jam cœpit,

Deo & Christo dignus habeatur. Agnoscere enim sedebet, Fratres dilectissimi, qui Deo militat, qui positus in cælestibus castris diuina jam sperat, vt ad procellas & turbines mundi trepidatio nulla sit in nobis, nulla cunctatio; quando hæc ventura prædixerit Dominus, prouidæ vocis hortatu instruens & docens, & præparans atque corroborans Ecclesiæ suæ populum ad omnem tolerantiam futurorum; bella, & fames, & terræmotus, & pestilentias per loca singula exurgere prænuntiauit & docuit. Et ne inopinatus nos & nouus rerum infestantium metus quateret, magis ac magis in nouissimis temporibus aduersa crebrescere antè præmonuit. Fiunt ecce quæ dicta sunt; & quando fiunt quæ antè prædicta sunt, sequentur & quæcunque promissa sunt, Domino ipso pollicente & dicente: *Cùm autem videritis hæc omnia fieri, scitote quoniam in proximo est regnum Dei.*

Afflictiones mundi prædixit Christus.

Luc. 21. 31.

Regnum Dei, Fratres dilectissimi, esse cœpit in proximo: præmium vitæ & gaudium salutis æternæ, & perpetua lætitia, & possessio paradisi nuper amissa, mundo transeunte jam veniunt; jam terrenis cælestia, & magna paruis, & caducis æterna succedunt. Quis hîc anxietatis & solicitudinis locus est? quis inter hæc trepidus & mæstus est, nisi cui spes & fides deest? Ejus est enim mortem timere, qui ad Christum nolit ire: ejus est ad Christum nolle ire, qui se non credat cum Christo incipere regnare. Scriptum est enim, justum fide viuere. Si justus es, & fide viuis, si verè in Deum credis; cur non cum Christo futurus, & de Domini pollicitatione securus, quòd ad Christum voceris, amplecteris; & quòd diabolo careas, gratularis? Symeon denique ille justus, qui verè justus fuit, qui fide plena Dei præcepta seruauit, cùm ei diuinitus responsum fuisset, quòd non antè moreretur quàm Christum vidisset, & Christus infans in templum cum matre venisset; agnouit in spiritu natum esse jam Christum, de quo sibi fuerat antè prædictum, quo viso sciuit se citò esse moriturum. Lætus itaque de morte jam proxima, & de vicina accersitione securus, accepit in manus puerum, & benedicens Deum exclamauit & dixit: *Nunc dimittis seruum, Domine, secundum verbum tuum in pace: quoniam viderunt oculi mei salutare tuum.* Probans, scilicet, atque contestans tunc esse seruis Dei pacem, tunc

Mortalitas haud timenda quòd ad immortalitatem ducat.

Rom. 1. 17.

Luc. 2. 29.

Pax nulla Christiano nisi postquam ad immortalitatem venerit.

liberam, tunc tranquillam quietem, quando de istis mundi turbinibus extracti, sedis & securitatis æternæ portum petimus, quando expuncta hac morte ad immortalitatem venimus. Illa est enim nostra pax, illa fida tranquillitas, illa stabilis & firma & perpetua securitas.

In mundo nihil aliud nisi pugna continua.

Cæterùm quid aliud in mundo, quàm pugna aduersus diabolum quotidie geritur? quàm aduersus jacula ejus & tela conflictationibus assiduis dimicatur? Cum auaritia nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio est: cum carnalibus vitiis, cum illecebris secularibus assidua & molesta luctatio est. Obsessa mens hominis & vndique diaboli infestatione vallata, vix occurrit singulis, vix resistit. Si auaritia prostrata est, exsurgit libido: si libido compressa est, succedit ambitio: si ambitio contempta est, ira exasperat, inflat superbia, vinolentia inuitat, inuidia concordiam rumpit, amicitiam zelus abscindit. Cogeris maledicere, quod diuina lex prohibet: compelleris jurare, quod non licet. Tot persecutiones animus quotidie patitur, tot periculis pectus vrgetur; & delectat hic inter diaboli gladios diu stare; cùm magis concupiscendum sit & optandum ad Christum, subueniente velociùs morte, properare, ipso

Ioan. 16.20. instruente nos & dicente: *Amen, amen dico vobis, quoniam vos plorabitis & plangetis, seculum autem gaudebit: vos tristes eritis, sed tristitia vestra in lætitiam veniet.* Quis non tristitiâ carere optet? quis non ad lætitiam venire festinet? Quando autem in lætitiam veniat nostra tristitia, Dominus denuo ipse declarat dicens: *Iterum videbo vos, & gaudebit cor*

Ibid. 22. *vestrum, & gaudium vestrum nemo auferet à vobis.* Cùm ergo Christum videre, gaudere sit, nec possit esse gaudium nostrum nisi cùm viderimus Christum; quæ cæcitas animi, quæue dementia est, amare pressuras & pœnas, & lachrymas mundi, & non festinare potiùs ad gaudium quod nunquam possit auferri?

Amatur præsens vita ab his quibus fides deest.

Hoc autem fecit, Fratres dilectissimi, quia fides deest, quia nemo credit vera esse quæ promittit Deus, qui verax est, cujus sermo credentibus æternus & firmus est. Si tibi vir grauis & laudabilis aliquid polliceretur, haberes vtique pollicenti fidem, nec te falli aut decipi ab eo crederes; quem stare in sermonibus atque in actibus suis scires; nunc Deus te-

cum loquitur; & tu mente incredula perfidus fluctuas? Deus de hoc mundo recedenti tibi immortalitatem atque æternitatem pollicetur, & tu dubitas? hoc est Deum omnino non nosse; hoc est, Christum credentium Dominum & magistrum peccato incredulitatis offendere; hoc est, in Ecclesia constitutum fidem in domo fidei non habere. Quantum prosit exire de seculo, Christus ipse salutis atque vtilitatis nostræ magister ostendit; qui cùm discipuli ejus contristarentur, quòd se jam diceret recessurum, locutus est ad eos dicens: *Si me dilexissetis: gauderetis, quoniam vado ad Patrem:* docens scilicet & ostendens, cùm chari quos diligimus de seculo exeunt, gaudendum potiùs quàm dolendum. Cujus rei memor beatus Apostolus in Epistola sua ponit & dicit: *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.* Lucrum maximum computans, jam seculi laqueis non teneri, jam nullis peccatis & vitiis carnis obnoxium fieri; exemptum pressuris angentibus, & venenatis diaboli faucibus liberatum, ad lætitiam salutis æternæ Christo vocante proficisci.

Ioan.14.28.

Phil. 1. 21.

At enim quosdam mouet, quòd æqualiter cum Gentilibus nostros morbi istius valitudo corripiat; quasi ad hoc crediderit Christianus, vt immunis à contactu malorum, mundo & seculo feliciter perfruatur, & non omnia hîc aduersa perpessus ad futuram lætitiam reseruetur. Mouet quosdam quòd sit nobis cum cæteris mortalitas ista communis. Quid enim nobis in hoc mundo non commune cum cæteris, quandiu adhuc secundum legem primæ natiuitatis manet caro ista communis? Quoadvsque istîc in mundo sumus; cum genere humano carnis æqualitate conjungimur, spiritu separamur. Itaque donec corruptiuum istud induat incorruptionem, & mortale hoc accipiat immortalitatem, & spiritus nos perducat ad Deum Patrem; quæcunque sunt carnis incommoda, sunt nobis cum humano genere communia. Sic cùm fœtu sterili terra jejuna est, neminem fames separat: Sic cùm irruptione hostili ciuitas aliqua possessa est, omnes simul captiuitas vastat. Et quando imbrem nubila serena suspendunt, omnibus siccitas vna est. Et cùm nauem scopulosa saxa constringunt, nauigantibus naufragium sine exceptione commune est. Et oculorum dolor, & impetus febrium, & omnium valitudo membrorum cum

Non mirū quòd Christiano cum Gentilibus sint mala hujus vitæ communia.

1.Cor.15.53.

cæteris communis est nobis, quandiu portatur in seculo caro ista communis.

Christiano plus cęteris in hoc seculo laborandum. Quinimmò si qua conditione, qua lege crediderit Christianus, noscat & teneat; sciet plus sibi, quàm cæteris in seculo laborandum, cui magis sit cum diaboli impugnatione luctandum. Docet & præmonet scriptura diuina dicens:
Eccl. 2. 1. *Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Et iterum: *In dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe; quoniam in igne probatur aurum & argentum. Homines verò receptibiles in camino humiliationis.* Sic Iob post rerum damna, post pignorum funera, vulneribus quoque & vermibus grauiter afflictus, non victus est sed probatus; qui in ipsis conflictationibus & doloribus suis patientiam religiosæ mentis ostendens ait:
Iob. 1. 21. *Nudus exiui de vtero matris, nudus etiam ibo sub terram: Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino visum est, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* Et cùm eum vxor quoque sua compelleret, vt vi doloris impatiens aliquid aduersus Deum querulâ & inuidiosâ voce loqueretur, respondit
Iob. 2. 10. & dixit: *Tanquam vna ex insipientibus mulieribus locuta es. Si bona suscepimus de manu Domini, mala cur non tolerabimus? In his omnibus quæ contigerunt ei, nihil peccauit Iob labiis suis in conspectu Domini.* Itaque illi Dominus Deus perhibet testimo-
Iob. 1. 8. nium dicens: *Animaduertisti puerum meum Iob? non enim est similis illi quisquam in terris*, homo sine querela, verus Dei cultor. Et Tobias post opera magnifica, post misericordiæ suæ multa & gloriosa præconia, cæcitatem luminum passus, timens & benedicens in aduersis Deum, per ipsam corporis sui cladem creuit ad laudem; quem & ipsum vxor sua deprauare tentauit dicens: *Vbi sunt iustitiæ tuæ? ecce quæ*
Tob. 2. 22. *pateris.* At ille circa timorem Dei stabilis & firmus, & ad omnem tolerantiam passionis fide religionis armatus, tentationi vxoris inualidæ in dolore non cessit, sed magis Deum patientia majore promeruit; quem postmodum Raphaël
Tob. 12. 11. Angelus collaudat & dicit: *Opera Dei reuelare, & confiteri honorificum est. Nam quando orabas tu & Sarra nurus tua, ego obtuli memoriam orationis vestræ in conspectu claritatis Dei. Et cùm sepelieres tu mortuos simpliciter: & quia non es cunctatus exsurgere & derelinquere prandium tuum, & abisti & condidisti*
Ibid. 4.

mortuum, missus sum tentare te. Et iterum: *Me misit Deus curare te, & Sarram nurum tuam: ego enim sum Raphaël vnus ex septem Angelis Sanctis; qui assistimus & conuersamur ante claritatem Dei.* Ibid. 14.

Murmurandum non est in aduersis.

Hanc tolerantiam justi semper habuerunt, hanc Apostoli disciplinam de Domini lege tenuerunt, non mussitare in aduersis, sed quæcunque in seculo accidunt fortiter & patienter accipere; cùm Iudæorum populus hinc semper offenderit, quòd aduersus Deum frequentiùs murmuraret; sicut testatur in Numeris Dominus Deus, dicens; *Desinat murmuratio eorum à me, & non morientur.* Murmurandum non est in aduersis, Fratres dilectissimi, sed patienter & fortiter quidquid acciderit sustinendum, cùm scriptum sit: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicit*; In Deuteronomio quoque moneat per Moïsen Spiritus sanctus & dicat: *Dominus Deus tuus vexabit te, & famem injiciet tibi, & cognoscetur in corde tuo si bene custodieris præcepta ejus, siue non.* Et iterum: *Tentat vos Dominus Deus vester, vt sciat si diligitis Dominum Deum vestrum ex toto corde vestro, & ex tota anima vestra.* Sic Abraham Deo placuit, quia vt placeret Deo, nec amittere filium timuit, nec gerere parricidium recusauit. Qui filium non potes lege & sorte mortalitatis amittere; quid faceres si filium jubereris occidere? Ad omnia te paratum facere timor Dei & fides debet. Sit licet rei familiaris amissio; sit de infestantibus morbis assidua membrorum & cruenta vexatio; sit de vxore, de liberis, de excedentibus charis funebris & tristis auulsio; non sint tibi scandala ista, sed prœlia: nec debilitent aut frangant Christiani fidem, sed potiùs ostendant in colluctatione virtutem; cùm contemnenda sit omnis injuria malorum præsentium, fiduciâ futurorum bonorum. Nisi præcesserit pugna, non potest esse victoria: cùm fuerit in pugnæ congressione victoria, tunc datur vincentibus & corona. Gubernator in tempestate dinoscitur, in acie miles probatur. Delicata jactatio est, cùm periculum non est: conflictatio in aduersis, probatio est veritatis. Arbor quæ alta radice fundata est, ventis incumbentibus non mouetur: & nauis, quæ forti compage solida est, pulsatur fluctibus, nec foratur: & quando area fruges terit, ventos grana fortia &

Num. 17. 10

Ps. 50.

Deut. 28. 20

Deut. 13. 3.

Gen. 22.

Non reportatur victoria nisi præmiâ pugnâ.

robusta contemnunt, inanes paleæ flatu portante rapiuntur. Sic & Apostolus Paulus post naufragia, post flagella, post carnis & corporis multa & grauia tormenta, non vexari, sed emendari se dicit aduersis, vt dum grauiùs affligitur,
2.Cor. 12. 7. veriùs probaretur: *Datus est mihi*, inquit, *stimulus carnis meæ, Angelus satanæ qui me colaphiset, vt non extollar: propter quod ter Dominum rogaui, vt discederet à me, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Quando ergo infirmitas, & imbecillitas, & vastitas aliqua grassatur, tunc virtus nostra perficitur: tunc fides si tentata perstiterit, coronatur, sicut scriptum est: *Vasa figuli probat for-*
Eccl. 27. 6. *nax, & homines justos tentatio tribulationis.*

Morbi cōmunes sunt omnibus, sed mors diuersa, cùm alij ad refrigeriū, alij ad supplicium rapiantur.

Hoc denique inter nos & cæteros interest qui Deum nesciunt, quòd illi in aduersis queruntur & murmurant: nos aduersa non auocant à virtutis & fidei veritate, sed corroborant in dolore. Hoc, quòd nunc corporis vires solutus in fluxum venter euiscerat, quòd in faucium vulnera conceptus medullitus ignis exæstuat, quòd assiduo vomitu intestina quatiuntur; quòd oculi vi sanguinis inardescunt, quòd quorumdam vel pedes vel aliquæ membrorum partes contagio morbidæ putredinis amputantur; quòd per jacturas & damna corporum prorumpente languore vel debilitatur incessus, vel auditus obstruitur, vel cæcatur aspectus, ad documentum proficit fidei. Contra tot impetus vastationis & mortis inconcussis animi virtutibus congredi, quanta pectoris magnitudo est? & quanta sublimitas, inter ruinas generis humani stare erectum; nec cum eis, quibus spes in Deum nulla est, jacere prostratum? Gratulari magis oportet, & temporis munus amplecti, quòd dum nostram fidem firmiter promimus, & labore tolerato ad Christum per angustam Christi viam pergimus, præmium vitæ ejus & fidei ipso judicante capiamus. Mori planè timeat, sed qui ex aqua & spiritu non renatus, gehennæ ignibus mancipatur: mori timeat, qui non Christi cruce & passione censetur: mori timeat, qui ad secundam mortem de hac morte transibit: mori timeat, quem de seculo recedentem perennibus pœnis æterna flamma torquebit: mori timeat, cui hoc mora longiore confertur, vt cruciatus ejus & gemitus interim differatur. Multi ex nostris in hac mortalitate moriuntur,

riuntur, hoc eſt, multi ex noſtris de ſeculo liberantur. Mortalitas iſta, vt Iudæis & Gentilibus & Chriſti hoſtibus peſtis eſt, ita Dei ſeruis ſalutaris exceſſus eſt. Hoc quòd ſine vllo diſcrimine generis humani cum injuſtis moriuntur & juſti; non eſt quòd putetis bonis & malis interitum eſſe communem. Ad refrigerium juſti vocantur, ad ſupplicium rapiuntur injuſti: datur velociùs tutela fidentibus, perfidis pœna.

Improuidi & ingrati ſumus, Fratres dilectiſſimi, ad diuina beneficia, nec quid nobis conferatur agnoſcimus. Excedunt ecce in pace tutæ cum gloria ſua Virgines, venientis Antichriſti minas & corruptelas & lupanaria non timentes: pueri periculum lubricæ ætatis euadunt, ad continentiæ atque innocentiæ præmium feliciter perueniunt: tormenta jam non timet delicata matrona, metum perſecutionis, & manus cruciatuſque carnificis, moriendi celeritate lucrata: pauore mortalitatis & temporis accenduntur tepidi, conſtringuntur remiſſi, excitantur ignaui: deſertores compelluntur, vt redeant: Gentiles coguntur, vt credant: vetus fidelium populus ad quietem vocatur: ad aciem recens & copioſus exercitus robore fortiore colligitur, pugnaturus ſine metu mortis cùm prælium venerit, qui ad militiam tempore mortalitatis accedit. Quid deinde illud, Fratres dilectiſſimi, quale eſt, quàm pertinens, quàm neceſſarium, quòd peſtis iſta & lues, quæ horribilis & feralis videtur, explorat juſtitiam ſingulorum; & mentes humani generis examinat? an infirmis ſeruiant ſani, an propinqui cognatos piè diligant, an miſereantur ſeruorum languentium domini, an deprecantes ægros non deſerant medici, an feroces violentiam ſuam comprimant, an rapaces auaritiæ furentis inſatiabilem ſemper ardorem vel metu mortis extinguant, an ceruicem flectant ſuperbi, an audaciam leniant improbi, an pereuntibus charis vel ſic aliquid diuites largiantur & donent ſine herede morituri. Vt nihil aliud mortalitas iſta contulerit, hoc Chriſtianis & Dei ſeruis plurimum præſtitit, quòd martyrium cœpimus libenter appetere, dum mortem diſcimus non timere. Exercitia ſunt nobis iſta, non funera; dant animo fortitudinis gloriam, contemptu mortis præparant ad coronam.

Mortalitas commoda plurima confert.

Sed fortaſſe aliquis opponat & dicat: hoc me ergo in præſenti mortalitate contriſtat, quòd qui paratus ad confeſſionem fueram, & ad tolerantiam paſſionis toto me corde & plena virtute deuoueram, martyrio meo priuor, dum morte præuenior. Primo in loco non eſt in tua poteſtate, ſed in Dei dignatione martyrium: nec potes te dicere perdidiſſe, quod neſcis an merearis accipere: tunc deinde

Bonã voluntatem coronat Deus.

Deus ſcrutator renis & cordis, & occultorum contemplator & cognitor, videt te, & laudat, & comprobat; & qui perſpicit apud te paratam fuiſſe virtutem, reddet pro virtute mercedem. Nunquid Caïn, cùm Deo munus offerret, jam peremerat fratrem? & tamen parricidium mente conceptum Deus prouidus antè damnauit. Vt illic cogitatio mala, & perniciosa conceptio Deo prouidente proſpecta eſt: ita & in Dei ſeruis, apud quos confeſſio cogitatur, & martyrium mente concipitur, animus ad bonum deditus Deo judice coronatur; aliud eſt enim martyrio animum deeſſe, aliud animo defuiſſe martyrium. Qualem te inuenit Dominus cùm vocat, talem pariter & judicat; quando ipſe teſtetur & dicat: *Et ſcient omnes Eccleſiæ quia ego ſum ſcrutator renis & cordis.* Nec enim Deus ſanguinem noſtrum ſed fidem quærit. Nam nec Abraham, nec Iſaac, nec Iacob occiſi ſunt, & tamen fidei ac juſtitiæ meritis honorati inter Patriarchas primi eſſe meruerunt; ad quorum conuiuium congregatur quiſquis fidelis & juſtus & laudabilis inuenitur. Meminiſſe debemus voluntatem nos, non noſtram, ſed Dei facere debere; ſecundum quod nos Dominus quotidie juſſit orare. Quàm præpoſterum eſt, quámque peruerſum, vt cùm Dei voluntatem fieri poſtulemus, quando euocat nos & accerſit de hoc mundo Deus, non ſtatim voluntatis ejus imperio pareamus. Obnitimur & reluctamur, & peruicacium more ſeruorum ad conſpectum Domini cum triſtitia & mœrore perducimur, exeuntes iſtinc neceſſitatis vinculo, non obſequio voluntatis: & volumus ab eo præmiis cæleſtibus honorari, ad quem venimus inuiti? Quid ergo oramus & petimus vt adueniat regnum cælorum, ſi captiuitas terrena delectat? Quid precibus frequenter iteratis rogamus & poſcimus, vt acceleret dies regni, ſi majora deſideria, & vota potiora ſunt ſeruire iſtic diabolo, quàm regnare cum Christo?

Apoc. 2. 23.

Mat. 6. 10. Peruerſum eſt mortem refugere.

Denique vt manifeſtiùs diuinæ prouidentiæ indicia clareſcerent, quòd Dominus præſcius futurorum ſuis conſulat ad veram ſalutem: cùm quidam de Collegis & Conſacerdotibus noſtris jam infirmitate defeſſus, & de appropinquante morte ſolicitus commeatum ſibi precaretur, aſtitit deprecanti, & jam penè morienti juuenis honore & majeſtate venerabilis, ſtatu excelſus, & clarus aſpectu, & quem aſſiſtentem ſibi vix poſſet humanus aſpectus oculis carnalibus intueri, niſi quòd talem videre jam poterat de ſeculo receſſurus. Atque ille non ſine quadam animi & vocis indignatione infremuit & dixit: Pati timetis, exire non vultis, quid faciam vobis? Increpantis vox & monentis eſt: qui de perſecutione ſolicitis, de accerſitione ſecuris non conſentit ad præſens deſiderium, ſed conſulit in futurum. Audiuit Frater noſter & Collega moriturus, quod cæteris diceret. Nam qui moriturus audiuit, ad hoc audiuit vt diceret: audiuit non ſibi ille, ſed nobis. Nam quid diſceret jam receſſurus? didicit immò nobis remanentibus, vt dum Sacerdotem Dei, qui commeatum petebat, increpitum eſſe comperimus, quid cunctis expediat agnoſceremus. Nobis quoque ipſis minimis & extremis quoties reuelatum eſt, quàm frequenter atque manifeſtè de Dei dignatione præceptum eſt: vt conteſtarer aſſiduè & publicè prædicarem, Fratres noſtros non eſſe lugendos accerſitione Dominicâ de ſeculo liberatos, cùm ſciamus non eos amitti, ſed præmitti, recedentes præcedere, vt proficiſcentes, vt nauigantes ſolent; deſiderari eos debere, non plangi: nec accipiendas eſſe hîc atras veſtes, quando illi ibi indumenta alba jam ſumpſerint: occaſionem dandam non eſſe Gentilibus, vt nos meritò ac jure reprehendant, quòd quos viuere apud Deum dicimus, vt extinctos & perditos lugeamus; & fidem, quam ſermone & voce depromimus, cordis & pectoris teſtimonio non probemus. Spei noſtræ ac fidei præuaricatores ſumus; ſimulata, ficta, fucata videntur eſſe quæ dicimus. Nihil prodeſt verbis præferre virtutem, factis deſtruere veritatem. Improbat denique Apoſtolus Paulus, & objurgat, & culpat, ſi qui contriſtentur in exceſſu ſuorum: *Nolumus*, inquit, *ignorare vos, fratres, de dormientibus, vt non contriſtemini ſicut & cæteri, qui ſpem non habent. Si enim credimus quia* IESVS *mor-*

Lugendi mortui non ſunt, propter ſpem reſurrectionis.

1. Theſ. 4. 13

tuus est, & resurrexit: Sic & Deus eos, qui dormierunt in IESV, *adducet cum illo.* Eos contristari dicit in excessu suorum, qui spem non habent. Qui autem spe viuimus, & in Deum credimus, & Chrstum passum esse pro nobis, & resurrexisse confidimus, in Christo manentes, & per ipsum atque in ipso resurgentes; quid aut ipsi recedere istinc de seculo nolumus, aut nostros recedentes quasi perditos plangimus ac dolemus? ipso Christo Domino & Deo nostro monente ac dicente: *Ego sum resurrectio & vita; qui credit in me, licet moriatur, viuet: & omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum.* Si in Christum credimus, fidem verbis & promissis ejus habeamus; & non morituri in æternum, ad Christum, cum quo & victuri & regnaturi semper sumus, læta securitate veniamus.

Ioan. 11. 25.

Mors nostra est ad immortalitatem transitus, ideo non timenda.

Quòd interim morimur, ad immortalitatem morte transgredimur: nec potest vita æterna succedere, nisi hinc contigerit exire; non est exitus iste, sed transitus, & temporali itinere decurso ad æterna transgressus. Quis non ad meliora festinet? Quis non mutari & reformari ad Christi speciem, & ad cælestis gratiæ dignitatem venire citiùs exoptet? Paulo Apostolo prædicante: *Nostra autem conuersatio*, inquit, *in cælis est, vnde & Dominum expectamus* IESVM CHRISTVM, *qui transformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Tales nos futuros & Christus Dominus pollicetur, quando vt cum illo simus, & cum illo in æternis sedibus viuamus, atque in regnis cælestibus gaudeamus, Patrem pro nobis precatur dicens: *Pater, quos mihi dedisti, volo vt vbi ego fuero, & ipsi sint mecum; & videant claritatem quam mihi dedisti, priusqu m mundus fieret.* Venturus ad Christi sedem, ad regnorum cælestem claritatem, lugere non debet & plangere; sed potiùs secundum pollicitationem Domini, secundum fidem veritatis in profectione hac suâ & translatione gaudere. Sic denique inuenimus & Enoch translatum esse, qui Deo placuit: sicut in Genesi testatur & loquitur Scriptura diuina: *Et placuit Enoch Deo, & non est inuentus postmodum, quia Deus illum transtulit.* Hoc fuit placuisse in conspectu Dei, de hoc contagio seculi meruisse transferri. Sed & per Salomonem docet Spiritus sanctus, eos qui Deo placeant, maturiùs istinc eximi,

Phil. 3. 20.

Ioan. 17. 24.

Gen. 5. 24.

& citiùs liberari; ne dum in isto mundo diutiùs immorantur, mundi contactibus polluantur. *Raptus est*, inquit, *ne malitia mutaret intellectum illius: placita enim erat Deo anima ejus: propter hoc properauit educere eum de medio iniquitatis.* Sic & in Psalmis ad Dominum properat spiritali fide Deo suo anima deuota, dicens: *Quam dilectissimæ habitationes tuæ, Deus virtutum, desiderat & properat anima mea ad atria Dei.* Ejus est in mundo diu velle remanere, quem mundus oblectat, quem seculum blandiens atque decipiens illecebris terrenæ voluptatis inuitat. Porrò cùm mundus oderit Christianum; quid amas eum qui te odit, & non magis sequeris Christum, qui te & redemit & diligit? Ioannes in Epistola sua clamat & loquitur: & ne carnalia desideria sectantes mundum diligamus, hortatur: *Nolite*, inquit, *diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis dilexerit mundum, non est charitas Patris in illo: quia omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio seculi, quæ non est à patre, sed ex concupiscentia mundi; & mundus transibit & concupiscentia ejus: qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum, quomodo & Deus manet in æternum.*

Sap. 4. 11.

Ps. 83. 2.

Qui diu vult in mūdo remanere, mundū diligere cōuincitur.

1. Ioan. 15. 2.

Potiùs, Fratres dilectissimi, mente integra, fide firma, virtute robusta, parati ad omnem voluntatem Dei simus: pauore mortis excluso, immortalitatem, quæ sequitur, cogitemus. Hoc nos ostendamus esse quod credimus, vt neque charorum lugeamus excessum: & cùm accersitionis propriæ dies venerit, incunctanter & libenter ad Dominum ipso vocante veniamus. Quod cùm semper faciendum fuerit Dei seruis, nunc fieri multo magis debet, corruente jam mundo, & malorum infestantium turbinibus obsesso; vt qui cernimus cœpisse jam grauia, & scimus imminere grauiora, lucrum maximum computemus, si istinc velociùs recedamus. Si in habitaculo tuo parietes vetustate nutarent, tecta desuper tremerent, domus jam fatigata, jam lassa, ædificiis senectute labentibus ruinam proximam minaretur; nonne omni celeritate migrares? Si nauigante te turbida & procellosa tempestas fluctibus violentiùs excitatis, prænuntiaret futura naufragia; nonne portum velociter peteres? Mundus ecce nutat & labitur, & ruinam sui non jam senectute rerum, sed fine testatur: & tu non Deo gratias agis, non

Paratus ad omnem voluntatem Dei sit Christianus.

tibi gratularis; quòd exitu maturiore subtractus, ruinis, & naufragiis, & plagis imminentibus exuaris? Considerandum est, Fratres dilectissimi, & identidem cogitandum; renuntiasse nos mundo, & tanquam hospites, & peregrinos isthic interim degere. Amplectamur diem, qui assignat singulos domicilio suo; qui nos istinc ereptos, & laqueis secularibus exsolutos paradiso restituit, & regno cælesti. Quis non peregrè constitutus properaret in patriam regredi? Quis non ad suos nauigare festinans, ventum prosperum cupidiùs optaret, vt velociter charos liceret amplecti? Patriam nostram paradisum computamus: parentes Patriarchas habere jam cœpimus; quid non properamus & currimus, vt patriam nostram videre, vt parentes salutare possimus? Magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum frequens nos & copiosa turba desiderat, jam de sua immortalitate secura, & adhuc de nostra salute solicita. Ad horum conspectum & complexum venire, quanta & illis & nobis in commune lætitia est? qualis illîc cælestium regnorum voluptas sine timore moriendi, & cum æternitate viuendi? quàm summa & perpetua felicitas? illîc Apostolorum gloriosus chorus: illic Prophetarum exultantium numerus: illic Martyrum innumerabilis populus ob certaminis & passionis victoriam coronatus: triumphantes illic Virgines, quæ concupiscentiam carnis & corporis, continentiæ robore subegerunt: remunerati misericordes qui alimentis & largitionibus pauperum justitiæ opera fecerunt, qui Dominica præcepta seruantes ad cælestes thesauros terrena patrimonia transtulerunt. Ad hos, Fratres dilectissimi, auida cupiditate properemus; vt cum his citò esse, vt citò ad Christum venire contingat, optemus. Hanc cogitationem nostram Deus videat, hoc propositum mentis & fidei Dominus Christus aspiciat; daturus eis gloriæ suæ ampliora præmia, quorum circa se fuerint desideria majora.

DE ZELO ET LIVORE.

ZELARE quod bonum videas, & inuidere melioribus, leue apud quoſdam & modicum crimen videtur, Fratres dilectiſſimi, dumque exiſtimatur leue eſſe & modicum, non timetur; dum non timetur, contemnitur; dum contemnitur, non facilè vitatur, & fit cęca & occulta pernicies; quæ dum minùs perſpicitur vt caueri à prouidentibus poſſit, improuidas mentes latenter affligit. Porro autem Dominus prudentes eſſe nos juſſit, & cauta ſolicitudine vigilare præcepit; ne aduerſarius vigilans ſemper, & ſemper inſidians, vbi in pectus obrepſerit, de ſcintillis conflet incendia, de paruis maxima exaggeret; & dum remiſſis & incautis leniore aura & flatu molliore blanditur, procellis ac turbinibus excitatis, ruinas fidei & ſalutis ac vitæ naufragia moliatur. Excubandum eſt itaque, Fratres dilectiſſimi, atque omnibus viribus elaborandum, vt inimico ſæuienti, & jacula ſua in omnes corporis partes, quibus percuti & vulnerari poſſumus, dirigenti, ſolicitâ & plenâ vigilantiâ repugnemus, ſecundum quod Petrus Apoſtolus in Epiſtola ſua præmonet & docet, dicens: *Sobrij eſtote & vigilate, quia aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, aliquem deuorare quærens.* Circuit ille nos ſingulos, & tanquam hoſtis clauſos obſidens, muros explorat, & tentat an ſit pars aliqua membrorum minùs ſtabilis, & minùs fida, cujus aditu ad interiora penetretur. Offert oculis formas illices, & faciles voluptates, vt viſu deſtruat caſtitatem. Aures per canoram muſicam tentat, vt ſoni dulcioris auditu ſoluat & molliat

Vndique nos oppugnat aduerſarius, ideo ſolicitè recundendus.

1. Pet. 5. 8.

Christianum vigorem. Linguam conuicio prouocat, manum injuriis lacessentibus ad petulantiam cædis instigat; vt fraudatorem faciat, lucra opponit injusta: vt animam pecuniâ capiat, ingerit perniciosa compendia: honores terrenos promittit, vt cælestes adimat: ostentat falsa, vt vera subripiat: & cùm latenter non potest fallere, exertè atque apertè minatur: terrorem turbidæ persecutionis intentans, ad debellandos Dei seruos inquietus semper & semper infestus: in pace subdolus, in persequutione violentus. Quamobrem, Fratres dilectissimi, contra omnes diaboli vel fallaces insidias, vel apertas minas stare debet instructus animus & armatus, tam paratus semper ad repugnandum, quàm est ad impugnandum semper paratus inimicus.

Liuor eo grauius est crimen, quò occultius.

Et quoniam frequentiora sunt tela ejus, quæ latenter obrepunt; magísque occulta & clandestina jaculatio, quo minùs perspicitur, hoc & grauiùs & crebriùs in vulnera nostra grassatur: ad hæc quoque intelligenda & depellenda vigilemus. Ex quibus est zeli & liuoris malum; quod si quis penitus inspiciat, inueniet nihil magis Christiano cauendum, nihil cautiùs prouidendum, quàm ne quis inuidia & liuore capiatur; ne quis fallentis inimici cæcis laqueis implicatus, dum zelo frater in fratris odia conuertitur, gladio suo nescius ipse perimatur: Quod vt colligere pleniùs & manifestiùs perspicere possimus, ad caput ejus atque originem recurramus. Videamus vnde zelus, & quando, & quo modo cœperit; faciliùs enim à nobis malum tam perniciosum vitabitur, si ejusdem mali & origo & magnitudo noscatur. Hinc diabolus inter initia statim mundi & periit primus, & perdidit. Ille dudum Angelica majestate subnixus, ille Deo acceptus & charus, postquam hominem ad imaginem Dei factum conspexit, in zelum maliuolo liuore prorupit; non priùs alterum dejiciens instinctu zeli, quàm ipse zelo antè dejectus; captiuus antequàm capiens; perditus, antequàm perdens: dum stimulante liuore homini gratiam datæ immortalitatis eripit, qui ipse quoque id, quòd priùs fuerat, amisit. Quale malum est, Fratres dilectissimi, quo Angelus cecidit, quo circumueniri & subuerti alta illa & præclara sublimitas potuit, quo deceptus est ipse qui decepit? Exinde inuidia grassatur in terris, dum liuore periturus,

Diabolus omniũ primus inuidiâ periit, deinde hominem perdidit.

Inuidiæ exempla è veteri Testamento.

turus, magiſtro perditionis obſequitur; dum diabolum qui zelat, imitatur; ſicut ſcriptum eſt: *Inuidiâ autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Imitantur ergo illum qui ſunt ex parte ejus.* Sap. 2. 24. Hinc denique nouæ fraternitatis prima odia, hinc parricidia nefanda cœperunt, dum Abel juſtum Caïn zelat injuſtus, Gen. 4. dum bonum malus inuidiâ & liuore perſequitur, tantum valuit ad conſummationem facinoris æmulationis furor; vt nec charitas fratris, nec ſceleris immanitas, nec timor Dei, nec pœna delicti cogitaretur. Injuſtè oppreſſus eſt, qui juſtitiam primus oſtenderat: odia perpeſſus eſt, qui odiſſe nõn nouerat: occiſus eſt impiè, qui moriens non repugnabat. Et quòd Eſaü fratre ſuo Iacob inimicus extitit, zelus fuit. Nam quia ille benedictionem patris acceperat, hic in odium Gen. 27. perſecutionis facibus liuoris exarſit. Et quòd Ioſeph fratres ſui vendiderunt, cauſa vendendi de æmulatione deſcendit; Gen. 37. poſtquam id quod ſibi in viſionibus proſperum fuerat oſtenſum, ſimpliciter vt fratribus frater expoſuit, in inuidiam maliuolus animus erupit. Saül quoque Rex vt Dauid 1. Reg. 18. odiſſet, vt perſecutionibus ſæpe repetitis innocentem, miſericordem, miti lenitate patientem necare cuperet, quid aliud quàm zeli ſtimulus prouocauit? quia Goliad interfecto & ibid. 17. ope ac dignatione diuina tanto hoſte deleto, populus admirans in laudes Dauid prædicationis ſuffragio proſiliit; Saül ſimultatis atque inſectationis furias de liuore concepit. Et ne longum faciam ſingulos recenſendo, pereuntis ſemel populi attendamus interitum. Iudæi nonne inde perierunt, dum Chriſto malunt inuidere quàm credere? Obtrectantes magnalibus quæ ille faciebat, zelo excæcante decepti ſunt, nec ad diuina noſcenda cordis oculos aperire potuerunt. Quæ nunc conſiderantes, Fratres dilectiſſimi, contra tantam mali perniciem vigilanter & fortiter dicata Deo pectora muniamus. Aliorum mors proficiat ad noſtram ſalutem, imprudentium pœna prouidentibus conferat ſanitatem.

Non eſt autem quòd aliquis exiſtimet malum iſtud vna ſpecie contineri, aut breuibus terminis, & anguſto fine concludi. Latè patet zeli multiplex & fœcunda pernicies. Radix eſt malorum omnium, fons cladium, ſeminarium delictorum, materia culparum. Inde odium ſurgit, animoſitas

Inuidia radix omniũ malorum eſſe oſtenditur per ſingula vitiorum genera.

inde procedit. Auaritiam zelus inflammat; dum quis suo non potest esse contentus, videns alterum ditiorem. Ambitionem zelus excitat; dum cernit quis alium in honoribus auctiorem: zelo excæcante sensus nostros, atque in ditionem suam mentis arcana redigente, Dei timor spernitur; magisterium Christi negligitur, judicij dies non prouidetur. Inflat superbia, exacerbat sæuitia, perfidia præuaricatur, impatientia concutit, furit discordia, ira feruescit; nec se jam potest cohibere, vel regere, qui factus est potestatis alienæ. Hinc Dominicæ pacis vinculum rumpitur, hinc charitas fraterna violatur, hinc adulteratur veritas, vnitas scinditur, ad hæreses atque ad schismata prosilitur; dum obtrectatur Sacerdotibus, dum Episcopis inuidetur, dum quis aut queritur non se potiùs ordinatum, aut dedignatur alterum ferre præpositum. Hinc recalcitrat, hinc rebellat de zelo superbus, de æmulatione peruersus; animositate & liuore, non hominis, sed honoris inimicus. Qualis verò est animæ tinea; quæ cogitationum tabes, pectoris quanta rubigo; zelare in altero vel virtutem ejus, vel felicitatem, id est, odisse in eo vel merita propria, vel beneficia diuina; in malum proprium bona aliena conuertere, illustrium prôsperitate torqueri, aliorum gloriam facere suam pœnam, velut quosdam pectori suo admouere carnifices, cogitationibus & sensibus suis adhibere tortores, qui se intestinis cruciatibus lacerent, qui cordis secreta maliuolentiæ vngulis pulsent: non cibus talibus lætus, non potus potest esse jucundus; suspiratur semper & ingemiscitur & doletur: dúmque ab inuidis nunquam liuor exponitur, diebus ac noctibus pectus obsessum sine intermissione laniatur.

Inuidia terminum nō habet.

Mala cætera habent terminum; & quodcunque delinquitur, delicti consummatione finitur. In adultero cessat facinus perpetrato stupro; in latrone conquiescit scelus homicidio admisso; & prædoni rapacitatem statuit præda possessa; & falsario modum ponit impleta fallacia: zelus terminum non habet, permanens jugiter malum & sine fine peccatum; quantóque ille, cui inuidetur, successu meliore profecerit, tanto inuidus in majus incendium liuoris ignibus inardescit. Hinc vultus minax, toruus aspectus, pallor in facie, in labiis tremor, stridor in dentibus, verba rabida, effrænata con-

uicia, manus ad cædis violentiam prompta, etiamsi à gladio interim vacua, odio tamen furiatæ mentis armata: & iccirco Spiritus sanctus dicit in Psalmis: *Noli zelare bene ambulantem in via sua.* Et iterum: *Obseruabit peccator justum, & stridebit ad eum dentibus suis. Deus autem irridebit eum, quoniam prouidet quia veniet dies ejus.* Hos beatus Apostolus Paulus designat & denotat dicens: *Venenum aspidum sub labiis eorum, & os eorum maledictione & amaritudine plenum est. Veloces ad effundendum sanguinem pedes eorum: contritio & calamitas in viis eorum, qui viam pacis non agnouerunt, nec est timor Dei ante oculos eorum.* Multò malum leuius, & periculum minus est, cùm membra gladio vulnerantur. Facilis cura est, vbi plaga perspicua est; & citò ad sanitatem medelâ subueniente perducitur vulnus, quod videtur: zeli vulnera abstrusa sunt & occulta, nec remedium curæ medentis admittunt, quæ se intra conscientiæ latebras cæco dolore clauserunt. Quicunque es inuidus & malignus, videris, quàm sis eis, quos odisti, insidiosus, perniciosus, infestus: nullius magis quàm tuæ salutis inimicus es. Quisquis ille est quem zelo persequeris, subterfugere & vitare te poterit: tu te non potes fugere: vbicunque fueris, aduersarius tuus tecum est, hostis semper in pectore tuo est, pernicies intus inclusa est, ineluctabili catenarum nexu ligatus & vinctus es, zelo dominante captiuus es, nec solatia tibi vlla subueniunt. Perseuerans malum est, hominem persequi ad Dei gratiam pertinentem: calamitas sine remedio est, odisse felicem.

Ps. 36. 7.

Rom. 3. 13.

Et idcirco, Fratres dilectissimi, huic periculo consulens Dominus, ne quis zelo fratris in laqueum mortis incurreret; cùm eum discipuli interrogarent quis inter illos major esset; *Qui fuerit*, inquit, *minimus in omnibus vobis, hic erit magnus.* Amputauit omnem æmulationem responso suo, omnem causam & materiam mordacis inuidiæ eruit & abscidit. Discipulo Christi zelare non licet, non licet inuidere. Exaltationis apud nos non potest esse contentio, de humilitate ad summa crescimus, didicimus vnde placeamus. Denique & Apostolus Paulus instruens & monens, vt qui illuminati Christi lumine tenebras nocturnæ conuersationis euasimus, in factis atque in operibus luminis ambulemus, scribit & dicit:

Fraternum odium sæpius à Christo & Apostolis interdictum.

Luc. 9. 48.

Rom 13.12. *Nox transiuit, dies autem appropinquauit; abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamus arma lucis, tanquam in die decenter ambulemus: non in comessationibus & ebrietatibus; non in concupiscentiis & impudicitiis; non in certaminibus & zelo.* Si recesserunt de pectore tuo tenebræ; si nox inde discussa est; si caligo detersa est; si illuminauit sensus tuos splendor diei; si homo lucis esse cœpisti: quæ sunt Christi gere; quia lux & dies Christus est. Quid in zeli tenebras ruis? quid te nubilo liuoris inuoluis? quid inuidiæ cæcitate omne pacis & charitatis lumen extinguis? quid ad diabolum, cui renuntiaueras, redis? quid Caïn similis existis? homicidij nanque facinore constringi eum quisquis zelauerit, & odio habuerit fratrem suum, declarat Ioannes Apostolus in Epistola sua

1.Ioan.3.15. dicens: *Qui fratrem suum odit, homicida est: & scitis quia om-*

Ibid.2.9. *nis homicida non habet in se vitam manentem.* Et iterum: *Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est vsque adhuc, & in tenebris ambulat, & non scit quò eat: quoniam tenebræ excæcauerunt oculos ejus.* Qui odit, inquit, fratrem suum, in tenebris ambulat, & non scit quò eat: it enim nescius in gehennam, ignarus & cæcus præcipitatur in pœnam; rece-

Ioan.8.12. dens scilicet à Christi lumine monentis & dicentis: *Ego sum lumen mundi: qui me secutus fuerit, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Sequitur autem Christum, qui præceptis ejus insistit, qui per magisterij ejus viam graditur, qui vestigia ejus atque itinera sectatur, qui id quod Christus & fecit & docuit, imitatur: secundum quod Petrus quo-

1.Petr.2.21. que hortatur & monet dicens: *Christus passus est pro nobis, relinquens vobis exemplum vt sequamini vestigia ejus.*

Charitas fraterna præ cæteris sectanda. Ioan.10.15. & 21.15. Meminisse debemus quo vocabulo plebem suam Christus appellet, quo titulo gregem suum nuncupet: oues nominat, vt innocentia Christiana ouibus æquetur: agnos vocat, vt agnorum naturam simplicem simplicitas mentis imitetur.

Mat.7.15. Quid sub vestitu ouium lupus latitat, quid gregem Christi, qui se Christianum mentitur, infamat? Christi nomen induere, & non per Christi viam pergere; quid aliud quàm præuaricatio est diuini nominis, quàm desertio itineris salu-

a Mat.19.17 taris? quando ipse doceat & dicat [a] eum ad vitam venire,

b Ibid 7.24. qui mandata seruauerit: & [b] eum esse sapientem, qui verba

ejus audierit & fecerit: [c] doctorem quoque eum maximum in regno cælorum vocari, qui fecerit & sic docuerit; tunc prædicanti profuturum, quod bene atque vtiliter prædicatum fuerit, si id quod ore promitur, factis sequentibus impleatur. Quid verò insinuauit crebriùs discipulis suis Dominus, quid inter salutaria monita & præcepta cælestia custodiendum magis seruandúmque mandauit; quàm, vt eadem dilectione qua discipulos ipse dilexit, nos quoque inuicem diligamus? Quomodo autem vel pacem Domini, vel charitatem tenet, qui intercedente zelo nec pacificus potest esse, nec charus? Ideo & Apostolus Paulus cùm pacis & charitatis merita depromeret, cúmque asseueraret firmiter & doceret nec fidem sibi nec eleemosynas, nec passionem quoque ipsam confessionis & martyrij profuturam, nisi charitatis fœdera integra atque inuiolata seruasset; adjecit & dixit: *Charitas magnanima est, charitas benigna est, charitas non zelat*; Docens, scilicet & ostendens eum posse charitatem tenere, quisquis magnanimus fuerit & benignus, & zeli ac liuoris alienus. Item alio loco cùm moneret, vt homo jam sancto Spiritu plenus natiuitate cælesti Dei filius factus, non nisi spiritalia & diuina sectetur, ponit & dicit: *Et ego quidem, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus; quasi infantibus in Christo lac vobis potum dedi, non cibum: nondum enim poteratis, sed neque nunc potestis, adhuc enim estis carnales: vbi enim in vobis zelus & contentio & dissensiones sunt, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?*

c Ibid. 5. 19.

Ioan. 13. 34. & 15. 12.

1. Cor. 13. 4.

1. Cor. 3. 1.

Obterenda sunt, Fratres dilectissimi, vitia & peccata carnalia, & terreni corporis infesta labes spiritali vigore calcanda: ne dum iterum ad veteris hominis conuersationem reuoluimur, lethalibus laqueis implicemur, Apostolo hoc idem prouidenter & salubriter præmonente: *Itaque*, inquit; *fratres, non secundum carnem viuamus, si enim secundum carnem vixeritis, incipietis mori; si autem spiritu opera carnis mortificaueritis, viuetis: quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt.* Si filij Dei sumus, si templa ejus esse jam cœpimus, si accepto Spiritu sancto, sanctè & spiritaliter viuimus, si de terris oculos ad cælum sustulimus, si ad superna & diuina plenum Deo & Christo pectus ereximus: non nisi quæ sunt Deo & Christo digna faciamus: sicut & Apostolus excitat

Vitia calcanda si Christum sequi cupimus.

Rom. 8. 12.

Coloss. 3. 1. & hortatur: *Si consurrexistis*, inquit, *cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dexteræ Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo: cùm autem Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Qui ergo in baptismo secundum hominis antiqui peccata carnalia & mortui & sepulti sumus, qui regeneratione cælesti Christo consurreximus; quæ sunt Christi, & cogitemus pariter & geramus: sicut idem Apostolus docet rursus & monet, dicens: *Primus homo de terræ limo, secundus homo de cælo: qualis ille de limo, tales & qui de limo: & qualis cælestis, tales & cælestes. Quomodo portauimus imaginem ejus qui de limo est, portemus & imaginem ejus qui de cælo est.* Imaginem autem cælestem portare non possumus, nisi in eo quod esse nunc cœpimus, Christi similitudinem præbeamus: hoc est enim mutasse quod fueras, & cœpisse esse quod non eras, vt in te diuina natiuitas luceat, vt ad patrem Deum deifica disciplina respondeat, vt honore & laude viuendi Deus in homine clarescat; ipso exhortante & monente, & eis qui se clarificant, vicem mutuam pollicente; *Eos*, inquit, *qui clarificant me, clarificabo: & qui spernit me, spernetur.* Ad quam clarificationem formans nos ac præparans Dominus, & filiis Dei similitudinem Dei patris insinuans, in Euangelio suo dicit: *Audistis quia dictum est: Diliges proximum tibi, & odio habebis inimicum tibi: Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, & orate pro his qui vos persequuntur, vt sitis filij patris vestri, qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.* Si hominibus lætum est & gloriosum, filios habere consimiles; & tunc magis generasse delectat, si ad patrem lineamentis paribus soboles subsiciua respondeat: quanto major in Deo patre lætitia est, cùm quis sic spiritaliter nascitur, vt in actibus ejus & laudibus diuina generositas prædicetur? Quæ justitiæ palma est, quæ corona; esse te talem, de quo Deus non dicat: *Filios genui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me?* sed collaudet te potiùs Christus, & inuitet ad præmium dicens: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.*

[Margin notes: 1. Cor. 15. 47 — 1. Reg. 2. 30. — Inimici diligendi. — Matt. 5. 43. — Isa. 1. 2. — Mat. 25. 34.]

Grauis ad virtutem hortatio at. His meditationibus corroborandus est animus, Fratres dilectissimi, ejusmodi exercitationibus contra omnia diaboli ja-

cula firmandus. Sit ante oculos diuina lectio, in manibus bona operatio, in sensibus Dominica cogitatio. Oratio jugis omnino non cesset. Salutaris operatio perseueret. Spiritalibus semper actibus occupemur, ut quotiescunque inimicus accesserit, quoties adire tentauerit, & clausum aduersum se pectus inueniat & armatum. Non enim Christiani hominis corona vna est, quæ tempore persecutionis accipitur. Habet & pax coronas suas, quibus de varia & multiplici congressione victores prostrato & subacto aduersario coronamur. Libidinem subegisse, continentiæ palma est. Contra iram, contra injuriam repugnasse, corona patientiæ est. De auaritia triumphus est, pecuniam spernere. Laus est fidei, fiduciâ futurorum mundi aduersa tolerare. Et qui superbus in prosperis non est, gloriam de humilitate consequitur. Et qui ad pauperum fouendorum misericordiam pronus est, retributionem thesauri cælestis adipiscitur. Et qui zelare non nouit, quique vnanimis & mitis fratres suos diligit, dilectionis & pacis præmio honoratur. In hoc virtutum stadio quotidie currimus, ad has justitiæ palmas & coronas sine intermissione temporis peruenimus. Ad quas vt peruenire tu etiam possis, qui fueras zelo & liuore possessus, omnem illam malitiam, qua priùs tenebaris abiice, ad viam vitæ æternæ vestigiis salutaribus reformare. Euelle de pectore tuo spinas & tribulos, vt te Dominicum semen fertili fruge locupletet, vt diuina & spiritalis seges in copiam fœcundæ messis exuberet. Venena fellis euome, discordiarum virus exclude: purgetur mens, quam serpentinus liuor infecerat; amaritudo omnis, quæ intus insederat, Christi dulcedine leniatur. Si de sacramento crucis & cibum sumis & potum; lignum, quod apud Mara profecit in imagine ad saporis dulcedinem, tibi in veritate proficiat ad mulcendi pectoris lenitatem; nec ad medelam prosperandæ valetudinis laborabis: vnde vulneratus fueras, inde curare. Ama eos quos antè oderas; dilige illos, quibus injustis obtrectationibus inuidebas; bonos imitare, si sectari potes, si autem eos sectari non potes: collætare certè & congratulare melioribus: fac te illis adunata dilectione participem, fac te consortio charitatis & fraternitatis vinculo cohæredem. Dimittentur tibi debita, quando ipse dimiseris:

que ad liuorem comprimendũ.

Exod. 15. 25.

accipientur ſacrificia tua, cùm pacificus ad Deum veneris Senſus atque actus tui diuinitus dirigentur, quando ea quæ
Prou. 16. 9. diuina & juſta ſunt cogitaueris, ſicut ſcriptum eſt: *Cor viri cogitet juſta, vt à Deo dirigantur greſſus ejus.* Habes autem
Gen. 4. multa quæ cogites. Paradiſum cogita, quò Caïn non redit; qui zelo fratrem peremit. Cogita cæleſte regnum, ad quod non niſi concordes atque vnanimes Dominus admittit.
Mat. 5. 9. Cogita quòd filij Dei hi ſoli poſſint vocari, qui ſint pacifici; qui natiuitate cæleſti & lege diuina ad ſimilitudinem Dei Patris & Chriſti reſpondeant adunati. Cogita ſub oculis nos Dei ſtare, ſpectante ac judicante ipſo conuerſationis ac vitæ noſtræ curricula decurrere; peruenire nos tunc demum poſſe vt eum videre contingat, ſi ipſum nunc videntem delectemus actibus noſtris, ſi nos dignos gratiâ ejus & indulgentiâ præbeamus; ſi placituri ſemper in regno, in hoc mundo antè placeamus.

DE VNITATE ECCLESIÆ CATHOLICÆ.

[a] Matt. 5. 13
[b] Mat. 10. 16
Aduerſarij cauēdæ inſidiæ.

CVM moneat Dominus & dicat: [a] *Vos eſtis ſal terræ*; [b] cúmque eſſe nos jubeat ad innocentiam ſimplices & tamen cum ſimplicitate prudentes: quid aliud, Fratres dilectiſſimi, quàm prouidere nos conuenit, & ſolicito corde vigilantes ſubdoli hoſtis inſidias intelligere pariter & cauere, ne qui Chriſtum ſapientiam Dei Patris induimur, minus ſapere in tuenda ſalute videamur? Neque enim perſecutio ſola metuenda eſt, & ea quæ ſubruendis ac dejiciendis Dei ſeruis aperta impugnatione graſſantur. Facilior cautio eſt, vbi manifeſtior formido eſt; & ad certamen

certamen animus antè præstruitur, quando se aduersarius profitetur. Plùs metuendus est & cauendus inimicus, cùm latenter obrepit; cùm per pacis imaginem fallens, occultis accessibus serpit, vnde & nomen serpentis accepit. Ea est ejus semper astutia: ea est circumueniendi hominis cæca & latebrosa fallacia: sic ab initio statim mundi fefellit, & verbis mendacibus blandiens, rudes animas incauta credulitate decepit. Sic Dominum ipsum tentare conatus, quasi obreperet, rursus & falleret, latenter accessit; intellectus tamen est & retusus, & ideo prostratus, quia agnitus, atque detectus. Vnde nobis exemplum datum est veteris hominis viam fugere, vestigiis Christi vincentis insistere; ne denuo incauti in mortis laqueum reuoluamur, sed ad periculum prouidi accepta immortalitate potiamur. Immortalitate autem potiri quomodo possumus, nisi ea, quibus mors expugnatur & vincitur, Christi mandata seruemus? ipso monente & dicente: *Si vis ad vitam venire, serua mandata.* Et iterum: *Si feceritis quæ mando vobis, jam non dicam vos seruos, sed amicos.* Hos denique fortes dicit & stabiles; hos super petram robusta mole fundatos; hos contra omnes tempestates & turbines seculi immobili & inconcussa firmitate solidatos. *Qui audit*, inquit, *verba mea, & facit ea, similabo eum viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram. Descendit pluuia, venerunt flumina, flauerunt venti, & impegerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim fuit super petram.* Verbis igitur ejus insistere; quæcunque & docuit & fecit, discere & facere debemus.

Mat 19.17. *Ioan. 15.14* *Mat. 7.24.*

Cæterùm credere se in Christum quomodo dicit, qui non facit quod Christus facere præcepit? aut vnde perueniet ad præmium fidei, qui fidem non vult seruare mandati? Nutet necesse est & vagetur, & spiritu erroris arreptus, velut puluis quem ventus excutit, ventiletur; nec ambulando proficiet ad salutem, qui salutaris viæ non tenet veritatem. Cauenda sunt autem, Fratres dilectissimi, non solùm quæ sunt aperta atque manifesta, sed & astutæ fraudis subtilitate fallentia. Quid verò astutius, quidve subtilius, quàm vt Christi aduentu detectus ac prostratus inimicus (postquàm lux Gentibus venit, & sospitandis hominibus salutare lumen effulsit, vt surdi auditum gratiæ spiritalis ad-

mitterent, aperirent ad Deum oculos ſuos cæci, infirmi æterna ſanitate reualeſcerent, claudi ad Eccleſiam currerent, muti claris vocibus & precibus orarent) videns ille idola derelicta, & per nimium credentium populum ſedes ſuas ac templa deſerta, excogitauerit nouam fraudem, vt ſub ipſo Chriſtiani nominis titulo fallat incautos? Hæreſes inuenit & ſchiſmata, quibus ſubuerteret fidem, veritatem corrumperet, ſcinderet vnitatem. Quos detinere non poteſt in viæ veteris cæcitate, circumſcribit & decipit noui itineris errore. Rapit de ipſa Eccleſia homines, & dum ſibi appropinquaſſe jam lumini, atque euaſiſſe ſeculi noctem videntur, alias neſcientibus tenebras rurſus infundit; vt cum Euangelio Chriſti, & cum obſeruatione ejus, & lege non ſtantes, Chriſtianos ſe vocent; & ambulantes in tenebris, habere ſe lumen exiſtiment; blandiente aduerſario atque fallente, qui ſecundum Apoſtoli vocem, *transfigurat ſe velut Angelum lucis*, & miniſtros ſubornat ſuos velut miniſtros juſtitiæ; aſſerentes noctem pro die, interitum pro ſalute, deſperationem ſub obtentu ſpei, perfidiam ſub prætextu fidei, Antichriſtum ſub vocabulo Chriſti, vt dum veriſimilia mentiuntur, veritatem ſubtilitate fruſtrentur.

[Margin: Hæreſes quare & ad quid diabolus inuenit.]
[Margin: 2 Cor. 11. 14.]

Hoc eo fit, Fratres dilectiſſimi, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec magiſtri cæleſtis doctrina ſeruatur. Quæ ſi quis conſideret & examinet, tractatu longo atque argumentis opus non eſt. Probatio eſt ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum: *Ego tibi dico*, inquit, *quia tu es Petrus, & ſuper iſtam petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam: Et tibi dabo claues regni cælorum, & quæ ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cælis: & quæcunque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis.* Et iterum eidem poſt Reſurrectionem ſuam dicit: *Paſce oues meas.* Super illum vnum ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oues ſuas. Et quamvis Apoſtolis omnibus poſt Reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat & dicat: *Sicut miſit me pater, & ego mitto vos; accipite Spiritum ſanctum. Si cui remiſeritis peccata, remittentur illi; ſi cui tenueritis, tenebuntur;* tamen vt vnitatem manifeſtaret, vnam cathedram conſtituit, & vnitatis ejuſdem originem ab vno incipientem ſua auctoritate diſpo-

[Margin: Hæreſeon cauſa.]
[Margin: Mat. 16. 18.]
[Margin: Ioan. 21. 17.]
[Margin: Ioan. 20. 21.]
[Margin: Vna eſt Eccleſia.]

ſuit. Hoc erant vtique & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio prædici & honoris & poteſtatis, ſed exordium ab vnitate proficiſcitur. Primatus Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia & Cathedra vna monſtretur. Et Paſtores ſunt omnes; ſed grex vnus oſtenditur, qui ab Apoſtolis omnibus vnanimi conſenſione paſcatur. Quam vnam Eccleſiam etiam in Cantico Canticorum Spiritus-ſanctus ex perſona Domini deſignat & dicit : *Vna eſt columba mea, perfecta mea,* *vna eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ.* *Cant. 6. 8.*

Hanc Eccleſiæ vnitatem qui non tenet, tenere ſe fidem credit? qui Eccleſiæ renititur & reſiſtit, qui Cathedram Petri ſuper quam fundata eſt Eccleſia, deſerit; in Eccleſia ſe eſſe confidit? quando & beatus Apoſtolus Paulus hoc idem doceat, & ſacramentum vnitatis oſtendat, dicens : *Vnum corpus & vnus ſpiritus, vna ſpes vocationis veſtræ, vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus?* Quam vnitatem firmiter tenere & vindicare debemus, maximè Epiſcopi, qui in Eccleſia præſidemus, vt Epiſcopatum quoque ipſum vnum atque indiuiſum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfida præuaricatione corrumpat. Epiſcopatus vnus eſt, cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur. Eccleſia quoque vna eſt, quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur : quo modo ſolis multi radij, ſed lumen vnum : & rami arboris multi, ſed robur vnum tenaci radice fundatum : & cùm de fonte vno riui plurimi defluunt, numeroſitas licet diffuſa videatur exundantis copiæ largitate, vnitas tamen ſeruatur in origine. Auelle radium ſolis à corpore, diuiſionem lucis vnitas non capit : ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit : à fonte præcide riuum, præciſus areſcet. Sic & Eccleſia Domini luce perfuſa per orbem totum radios ſuos porrigit, vnum tamen lumen eſt, quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis ſeparatur : ramos ſuos in vniuerſam terram copiâ vbertatis extendit, profluentes largiter riuos latiùs expandit : vnum tamen caput eſt, & origo vna, & vna mater fœcunditatis ſucceſſibus copioſa. Illius fœtu naſcimur, illius lacte nutrimur, ſpiritu ejus animamur. Adulterari non poteſt ſponſa Chriſti, incorrupta eſt & pudica : vnam domum nouit, vnius cubiculi ſanctitatem caſto pudore cuſtodit. Hæc

Vnitatem Eccleſiæ qui non tenet, fidem non tenet.

Eph. 4. 4.

nos Deo seruat, hæc filios regno quos generauit, assignat.

Qui ab Ecclesia est segregatus, à Christo est alienus. Quisquis ab Ecclesia segregatus adulteræ jungitur, à promissis Ecclesiæ separatur. Nec perueniet ad Christi præmia, qui relinquit Ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis est. Habere jam non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. Si potuit euadere quisquam qui extra arcam Noé fuit; & qui extra Ecclesiam foris fuerit,

Mat.12.30. euadit. Monet Dominus & dicit: *Qui non est mecum, aduersus me est: & qui non mecum colligit, spargit.* Qui pacem Christi & concordiam rumpit, aduersus Christum facit. Qui alibi præter Ecclesiam colligit, Christi Ecclesiam spargit. Dicit

Ioan.10.30 Dominus: *Ego & pater vnum sumus.* Et iterum de Patre &

1.Ioan.5.7. Filio & Spiritu sancto scriptum est: *Et hi tres vnum sunt*; & quisquam credit hanc vnitatem de diuina firmitate venientem, sacramentis cælestibus cohærentem, scindi in Ecclesia posse, & voluntatum collidentium diuortio separari? Hanc vnitatem qui non tenet; Dei legem non tenet, non tenet Patris & Filij fidem, vitam non tenet & salutem.

Vnitas Ecclesiæ demonstratur Hoc vnitatis sacramentum, hoc vinculum concordiæ inseparabiliter cohærentis ostenditur; quando in Euangelio tunica Domini IESV CHRISTI non diuiditur omnino nec scinditur, sed sortientibus de veste Christi, quis ipsam potiùs indueret, integra vestis accipitur, & incorrupta atque indiuidua tunica possidetur. Loquitur ac dicit scriptura diui-

Ioan.19.24. na: *De tunica autem, quia de superiore parte non consutilis, sed per totum textilis fuerat, dixerunt ad inuicem: Non scindamus illam, sed sortiamur de ea cujus sit.*

Vnitatem illa portabat de superiore parte venientem, id est de cælo & à patre venientem; quæ ab accipiente ac possidente scindi omnino non poterat, sed totam semel & solidam firmitatem inseparabiliter obtinebat. Possidere non potest indumentum Christi, qui scindit & diuidit Ecclesiam Christi. Contrà denique cùm Salomone moriente regnum ejus & populus scinderetur, Achias Propheta Ieroboam Regi obuius factus in campo, in duodecim scissuras vestimen-

3 Reg.11.30 tum suum discidit, dicens: *Sume tibi decem scissuras, quia hæc dicit Dominus: Ecce scindo regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem sceptra, & duo sceptra erunt ei propter seruum meum Dauid, & propter Hierusalem ciuitatem quam elegi, vt*

ponam nomen meum illic. Cùm duodecim tribus Israël scinderentur, vestimentum suum Propheta Achias discidit. At verò quia Christi populus non potest scindi, tunica ejus per totum textilis & cohærens diuisa à possidentibus non est: indiuidua, copulata, connexa ostendit populi nostri, qui Christum induimus, concordiam cohærentem; sacramento vestis & signo declarauit Ecclesiæ vnitatem. Quis ergo sic est sceleratus & perfidus, quis sic discordiæ furore vesanus; vt aut credat scindi posse, aut audeat scindere vnitatem Dei? vestem Domini? Ecclesiam Christi? Monet ipse in Euangelio suo, & docet dicens: *Et erit vnus grex, & vnus pastor.* Et esse posse vno in loco aliquis existimat aut multos pastores, aut plures greges? Apostolus item Paulus hanc eandem nobis insinuans vnitatem, obsecrat & hortatur dicens: *Obsecro*, inquit, *vos, fratres, per nomen Domini nostri* IESV-CHRISTI, *vt id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. Sitis autem compositi in eodem sensu, & in eadem sententia.* Et iterum dicit: *Sustinentes inuicem in dilectione, satis agentes seruare vnitatem spiritus in conjunctione pacis.* Stare tu & viuere putas posse de Ecclesia recedentem? sedes sibi alias & diuersa domicilia condentem? cùm dictum sit ad Raab, in qua præformabatur Ecclesia: *Patrem tuum & matrem tuam, & fratres tuos, & totam domum patris tui colliges ad te ipsam in domum tuam; & erit, omnis qui exierit ostium domus tuæ foras, reus sibi erit:* Item sacramentum Paschæ nihil aliud in Exodi lege contineat, quàm vt agnus, qui in figura Christi occiditur, in domo vna edatur. Loquitur Deus dicens: *In domo vna comedetur, non ejicietis de domo carnem foras.* Caro Christi & sanctum Domini ejici foras non potest, nec alia vlla credentibus præter vnam Ecclesiam domus est. Hanc domum, hoc vnanimitatis hospitium designat, & denuntiat Spiritus sanctus in Psalmis, dicens: *Deus qui inhabitare facit vnanimes in domo.* In domo Dei, in Ecclesia Christi vnanimes habitant, concordes & simplices perseuerant. Iccirco & in columba venit Spiritus sanctus. Simplex animal & lætum est, non felle amarum, non morsibus sæuum, non vnguium laceratione violentum: hospitia humana diligere, vnius domus consortium nosse; cùm generant, simul filios edere; cùm commeant, volatibus inuicem

Ioan. 10, 16.
1. *Cor.* 1. 10.
Ephes. 4. 2.
Ios. 2. 18.
Exod. 12. 46
Psa 67. 7.

cohærere, communi conuerſatione vitam ſuam degere, oris oſculo concordiam pacis agnoſcere, legem circa omnia vnanimitatis implere. Hæc eſt in Eccleſia noſcenda ſimplicitas, hæc charitas obtinenda; vt columbas dilectio fraternitatis imitetur, vt manſuetudo & lenitas agnis & ouibus coæquetur.

Quid facit in pectore Chriſtiano luporum feritas? & canum rabies? & venenum lethale ſerpentum? & cruenta ſæuitia beſtiarum? Gratulandum eſt, cùm tales de Eccleſia ſeparantur; ne columbas, ne oues Chriſti ſæua ſua & venenata contagione prædentur. Cohærere & conjungi non poteſt amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluuia cum ſerenitate, pugna cum pace, cum fœcunditate ſterilitas, cum fontibus ſiccitas, cum tranquillitate tempeſtas. Nemo exiſtimet bonos de Eccleſia poſſe diſcedere. Triticum non rapit ventus, nec arborem ſolida radice fundatam procella ſubuertit. Inanes paleæ tempeſtate jactantur, inualidæ arbores turbinis incurſione euertuntur. Hos execratur & percutit Ioannes Apoſtolus dicens: *Ex nobis exierunt, ſed non fuerunt ex nobis: Si enim fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtique nobiſcum.* Hinc hæreſes & factæ ſunt frequenter, & fiunt, dum peruerſa mens non habet pacem, dum perfidia diſcordans non tenet vnitatem. Fieri verò hæc Dominus permittit & patitur, manente propriæ libertatis arbitrio; vt dum corda & mentes noſtras veritatis diſcrimen examinat, probatorum fides integra, manifeſta luce clareſcat. Per Apoſtolum præmonet Spiritus ſanctus & dicit: *Oportet & hæreſes eſſe, vt probati manifeſti ſint in vobis.* Sic probantur fideles, ſic perfidi deteguntur: ſic & ante judicij diem hîc quoque jam juſtorum atque injuſtorum animæ diuiduntur, & à frumento paleæ ſeparantur.

Turbulentos de Eccleſia ſeparari expedit.

1.Ioan.2.19.

1.Cor.11.19.

Hi ſunt qui ſe vltrò apud temerarios conuenas ſine diuina diſpoſitione præficiunt, qui ſe præpoſitos ſine vlla ordinationis lege conſtituunt, qui nemine Epiſcopatum dante, Epiſcopi ſibi nomen aſſumunt: quos deſignat in Pſalmis Spiritus ſanctus ſedentes in peſtilentiæ cathedra, peſtes & lues fidei, ſerpentis ore fallentes, & corrumpendæ veritatis artifices, venena lethalia linguis peſtiferis euomentes: quorum ſermo vt cancer ſerpit: quorum tactus pe-

Schiſmata parit ambitio.

ctoribus & cordibus singulorum mortale virus infundit. Contra ejusmodi clamat Dominus, ab his refrænat & reuocat errantem plebem suam dicens: *Nolite audire sermones Pseudoprophetarum: quoniam visiones cordis eorum frustrantur eos. Loquuntur, sed non ab ore Domini. Dicunt eis qui abjiciunt verbum Dei: Pax erit vobis; & omnibus ambulantibus in voluntatibus suis: omnis qui ambulat in errore cordis sui, non venient super eum mala. Non locutus sum ad eos, & ipsi prophetauerunt. Si stetissent in substantia mea, & audissent verba mea, & si docuissent populum meum, conuertissem eos à malis cogitationibus eorum.* Hos eosdem denuo Dominus designat & denotat dicens: *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & effoderunt sibi lacus detritos, qui non possunt aquam portare.*

Ierem. 23. 16

Ierem. 2. 13.

Quando aliud baptisma præter vnum esse non possit, baptisare se posse opinantur. Vitæ fonte deserto, vitalis & salutaris aquæ gratiam pollicentur. Non abluuntur illis homines, sed potiùs sordidantur: nec purgantur delicta, sed imò cumulantur. Non Deo natiuitas illa, sed diabolo filios generat. Per mendacium nati, veritatis promissa non capiunt. De perfidia procreati, fidei gratiam perdunt ad pacis præmium venire non possunt, qui pacem Domini discordiæ furore ruperunt. Nec se quidam vana interpretatione decipiant, quòd dixerit Dominus: *Vbicunque fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum.* Corruptores Euangelij atque interpretes falsi extrema ponunt, & superiora prætereunt, partis memores, & partem subdolè comprimentes. Vt ipsi ab Ecclesia scissi sunt, ita capituli vnius sententiam scindunt. Dominus enim cùm discipulis suis vnanimitatem suaderet & pacem: *Dico*, inquit, *vobis: quoniam si duobus ex vobis conuenerit in terra; de omni re, quamcunque petieritis, continget vobis à Patre meo qui in cælis est. Vbicunque enim fuerint duo, aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum:* ostendens non multitudini, sed vnanimitati deprecantium plurimum tribui. *Si duobus*, inquit, *ex vobis conuenerit in terra:* vnanimitatem priùs posuit; concordiam pacis antè præmisit, vt conueniat nobis, fideliter & firmiter docuit. Quomodo autem potest ei cum aliquo conuenire, cui cum corpore ipsius Ecclesiæ & cum vniuersa fraternitate non conuenit? Quomodo possunt duo aut tres in nomine Christi colligi, quos constat à Christo & ab

Eph. 4. 5.

Mat. 18. 20

Ibid.

Vnanimitati orantium Christus fauet non multitudini.

ejus Euangelio separari? non enim nos ab illis, sed illi à nobis recesserunt. Et cùm hæreses & schismata postmodum nata sint: dum conuenticula sibi diuersa constituunt, veritatis caput atque originem reliquerunt. Dominus autem de Ecclesia sua loquitur, & ad hos qui sunt in Ecclesia loquitur: vt si ipsi concordes fuerint, si secundum quod mandauit & monuit, duo aut tres licet, collecti vnanimiter orauerint, duo aut tres licet sint, impetrare possint de Dei majestate quod postulant. *Vbicunque fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego,* inquit, *cum eis sum*; cum simplicibus scilicet, atque pacatis, cum Deum timentibus & Dei præcepta seruantibus. Cum

Dan. 3. his, duobus vel tribus licet, esse se dixit: quo modo & cum tribus pueris in camino ignis fuit; & quia in Deum simplices, atque inter se vnanimes permanebant, flammis

Act. 5 18. ambientibus medios spiritu roris animauit: Quo modo Apostolis duobus in custodia clausis, quia simplices, quia vnanimes erant, ipse adfuit; ipse resolutis carceris claustris, vt verbum quod fideliter prædicabant, multitudini traderent, ad forum rursus imposuit. Quando ergo in præceptis suis ponit & dicit: *Vbi fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum*: non homines ab Ecclesia diuidit, qui instituit & fecit Ecclesiam; sed exprobrans discordiam perfidis, & fidelibus pacem sua voce commendans, ostendit magis esse se cum duobus aut tribus vnanimiter orantibus, quàm cum dissidentibus plurimis; plusque impetrari posse paucorum concordi prece, quàm discordiosa oratione multorum. Ideò & cùm orandi legem daret, addidit dicens: *Et*

Marc. 11.25 *cùm steteritis ad orationem, remittite si quid habetis aduersus aliquem, vt & pater vester qui in cælis est, remittat vobis peccata.*

Matt. 5. 23. Et ad sacrificium cum dissensione venientem reuocat ab altari, & jubet priùs concordare cum fratre, tunc cum pace redeuntem Deo munus offerre, quia nec ad Caïn munera respexit Deus: neque enim pacatum habere Deum

Gen. 4. 5. poterat, qui cum fratre pacem per zeli discordiam non habebat.

Quam sibi igitur pacem promittunt inimici fratrum? quæ sacrificia celebrare se credunt æmuli Sacerdotum? an secum esse Christum, cùm collecti fuerint, opinantur, qui extra

Extra Ec- Christi Ecclesiam colliguntur? Tales etiam si occisi in confessione

fessione nominis fuerint, macula ista nec sanguine abluitur; inexpiabilis & grauis culpa discordiæ, nec passione purgatur. Esse martyr non potest, qui in Ecclesia non est: ad regnum peruenire non poterit, qui eam, quæ regnatura est, derelinquit. Pacem nobis Christus dedit: concordes atque vnanimes esse præcepit: dilectionis & charitatis fœdera incorrupta atque inuiolata seruari mandauit: exhibere se non potest Martyrem, qui fraternam non tenuit charitatem. Docet hoc & contestatur Paulus Apostolus dicens: *Et si habuero fidem ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Et si in cibos pauperum distribuero omnia mea & si tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil proficio. Charitas magnanima est, charitas benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non irritatur, non cogitat malum. Omnia diligit, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet: charitas nunquam excidit.* Nunquam, inquit, excidit charitas: hæc enim semper in regno erit; hæc in æternum fraternitatis sibi cohærentis vnitate durabit. Ad regnum cælorum non potest peruenire discordia. Ad præmia Christi, qui dixit: *Hoc est mandatum meum vt diligatis inuicem, quemadmodum dilexi vos*, pertinere non poterit, qui dilectionem Christi perfida dissensione violauit. Qui charitatem non habet, Deum non habet. Ioannis beati Apostoli vox est: *Deus*, inquit, *dilectio est, & qui manet in dilectione, in Deo manet, & Deus in illo manet.* Cum Deo manere non possunt, quia esse in Ecclesia Dei vnanimes noluerunt; ardeant licet flammis, & ignibus traditi vel objecti bestiis animas suas ponant; non erit illa fidei corona sed pœna perfidiæ, nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus. Occidi talis potest, coronari non potest. Sic se Christianum esse profitetur, quomodo & Christum diabolus sæpe mentitur ipso Domino præmonente & dicente: *Multi venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus, & multos fallent.* Sicut ille Christus non est, quamuis fallat in nomine illius: ita nec Christianus videri potest, qui non permanet in Euangelij ejus & fidei veritate. Nam & prophetare, & dæmonia excludere, & virtutes magnas in terris facere, sublimis vtique & admirabilis res est; non tamen regnum cæleste consequitur, quisquis in his omnibus inue-

[Margin notes: Extra Ecclesiã martyrium nihil prodest. — 1. Cor. 13. 2. — Ioan. 15. 12. — 1. Ioan. 4. 16 — Marc. 13. 6.]

V

nitur, nisi recti & justi itineris obseruatione gradiatur. Denuntiat Dominus & dicit: *Multi mihi dicent in illo die: Domine Domine, nonne in tuo nomine prophetauimus? & in tuo nomine dæmonia exclusimus? & in nomine tuo virtutes magnas fecimus? Et tunc dicam illis: Nunquam vos cognoui, recedite à me qui operamini iniquitatem.* Iustitiâ opus est, vt promereri quis possit Deum judicem. Præceptis ejus & monitis obtemperandum est, vt accipiant merita nostra mercedem. Dominus in Euangelio cùm spei & fidei nostræ viam compendio breuiante dirigeret: *Dominus Deus tuus*, inquit, *Deus vnus est:* &, *Diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo, & de tota anima tua, & de tota virtute tua. Hoc est primum mandatum; & secundum simile huic: Diliges proximum tuum tanquam te. In his duobus præceptis tota lex pendet & Prophetæ.* Vnitatem simul & dilectionem magisterio suo docuit: Prophetas omnes & legem præceptis duobus inclusit. Quam verò vnitatem seruat, quam dilectionem custodit aut cogitat; qui discordiæ furore vesanus Ecclesiam scindit, fidem destruit, pacem turbat, charitatem dissipat, sacramentum profanat.

Matt. 7. 22.

Marc. 12. 30

Hæreses jã olim prædictæ: idcirco eas vigere haud mirandum, sed ab iis cauendum.

2. Tim. 3. 1.

Malum hoc, dilectissimi Fratres, jam pridem cœperat, sed nunc creuit ejusdem mali infesta clades, & exurgere ac pullulare plus cœpit hæreticæ peruersitatis & schismatum venenata pernicies: quia & sic in occasu mundi fieri oportebat, prænuntiante per Apostolum nobis & præmonente Spiritu sancto: *In nouissimis*, inquit, *diebus aderunt tempora molesta: & erunt homines sibi placentes, superbi, tumidi, cupidi, blasphemi, parentibus inobedientes, ingrati, impij, sine affectu, sine fœdere, delatores, incontinentes, immites, bonum non amantes, proditores, procaces, stupore inflati, voluptates magis quàm Deum diligentes, habentes deformationem religionis, virtutem autem ejus abnegantes. Ex his sunt qui repunt in domos, & prædantur mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis; semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes. Et quomodo Iamnes & Mambres restiterunt Moysi: sic & hi resistunt veritati, homines corrupti sensu, reprobi circa fidem, sed non proficient plurimùm. Imperitia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit.* Adimplentur quæcunque prædicta sunt; & appropinquante jam seculi fine, hominum pariter ac tempo-

rum probatione venerunt. Magis ac magis aduersario sæuiente error fallit, extollit stupor, liuor incendit, cupiditas excæcat, deprauat impietas, superbia inflat, discordia exasperat, ira præcipitat. Non tamen nos moueat aut turbet multorum nimia & abrupta perfidia, sed potiùs fidem nostram prænuntiante rei veritate corroboret. Vt quidam tales esse cœperunt, quia hæc antè prædicta sunt: ita cæteri fratres ab ejusmodi caueant, quia & hæc antè prædicta sunt; instruente Domino & dicente: *Vos autem cauete, ecce prædixi vobis omnia.* Vitate, quæso, vos ejusmodi homines, & à latere atque auribus vestris perniciosa colloquia velut contagium mortis arcete, sicut scriptum est: *Sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam nequam.* Et iterum: *Corrumpunt ingenia bona confabulationes pessimæ.* Docet Dominus & admonet à talibus recedendum: *Cæci sunt*, inquit, *duces cæcorum. Cæcus autem cæcum ducens, simul in foueam cadent.* Auersandus est talis atque fugiendus quisquis fuerit ab Ecclesia separatus. *Peruersus est hujusmodi, & peccat, & est à semetipso damnatus.*

Marc. 13. 23 · *Eccl. 28. 28* · *1 Cor. 15. 33.* · *Mat. 15. 14* · *Tit. 3. 11.*

An esse sibi cum Christo videtur, qui aduersus Sacerdotes Christi facit? qui se à cleri ejus & plebis societate secernit? Arma ille contra Ecclesiam portat, contra Dei dispositionem repugnat: hostis altaris, aduersus sacrificium Christi rebellis, pro fide perfidus, pro religione sacrilegus, inobsequens seruus, filius impius, frater inimicus, contemptis Episcopis & Dei Sacerdotibus derelictis constituere audet aliud altare, precem alteram illicitis vocibus facere, Dominicæ hostiæ veritatem per falsa sacrificia profanare; nec dignatur scire, quoniam qui contra ordinationem Dei nititur, ob temeritatis audaciam diuina animaduersione punitur. Sic Chore & Dathan & Abiron, qui sibi contra Moysen & Aaron Sacerdotem sacrificandi licentiam vindicare conati sunt, pœnas statim pro suis conatibus pependerunt. Terra compagibus ruptis in profundum sinum patuit, stantes atque viuentes recedentis soli hiatus absorbuit. Nec tantùm eos qui auctores fuerant, Dei indignantis ira percussit: sed & cæteros ducentos quinquaginta participes ejusdem furoris & comites, qui coagulati cum iisdem simul ad audaciam fuerant, exiens à Domino ignis properata vltione consumpsit; ad-

Contra Deum fit quicquid contra Dei ordinationem suscipitur.

Num 16.

monens scilicet & ostendens contra Deum fieri, quidquid improbi fuerint ad destruendam ordinationem Dei humana
2. Paral. 26. 16. voluntate conati. Sic & Ozias Rex, cùm thuribulum ferens, & contra legem Dei sacrificium sibi violenter assumens, resistente sibi Azaria Sacerdote, obtemperare nollet & credere; diuina indignatione confusus & lepræ varietate in fronte maculatus est; ea parte corporis notatus offenso
Leu. 10, 1. Domino, vbi signantur qui Dominum promerentur. Et filij Aaron qui imposuerunt altari ignem alienum, quem non præceperat Dominus; in conspectu statim Domini vindicantis extincti sunt. Quos imitantur scilicet atque sectantur, qui Dei traditione contempta alienas doctrinas appetunt, & magisteria humanæ institutionis inducunt; quos increpat
Marc. 7. 8. Dominus, & objurgat in Euangelio suo dicens: *Rejicitis mandatum Dei, vt traditionem vestram statuatis*: pejus hoc crimen est, quàm quod admisisse Lapsi videntur; qui tamen in pœnitentia criminis constituti, Deum plenis satisfactionibus deprecantur. Hîc Ecclesia quæritur & rogatur: illic Ecclesiæ repugnatur. Hîc potest necessitas fuisse: illic voluntas tenetur in scelere. Hîc qui lapsus est, sibi tantùm nocuit: illic qui hæresim vel schisma facere conatus est, multos secum trahendo decepit. Hîc animæ vnius est damnum: illic periculum plurimorum. Certè peccasse se hic & intelligit, & lamentatur & plangit: ille tumens in peccato suo, & in ipsis sibi delictis placens, à matre filios segregat, oues à pastore solicitat, Dei sacramenta disturbat. Et cùm lapsus semel peccauerit, ille quotidie peccat. Postremò lapsus, martyrium postmodum consecutus, potest regni promissa percipere: ille si extra Ecclesiam fuerit occisus, ad Ecclesiæ non potest præmia peruenire.

Nec quisquam miretur, dilectissimi Fratres, etiam de Confessoribus quosdam ad ista procedere, inde quoque aliquos tam nefanda quàm grauia peccare. Neque enim confessio immunem facit ab insidiis diaboli, aut contra tentationes, & pericula, & incursus atque impetus seculares adhuc in seculo positum perpetua securitate defendit: cæterùm nunquam in Confessoribus fraudes, & stupra, & adulteria postmodum videremus, quæ nunc in quibusdam videntes ingemiscimus & dolemus. Quisquis ille Confessor est,

Ante obitū nemo extra periculum est.

Salomone major, aut melior, aut Deo charior non eſt. Quj tamen quandiu in viis Domini ambulauit: tandiu gratiam, quam de Domino fuerat conſecutus obtinuit: poſtquam dereliquit Domini viam, perdidit & gratiam Domini, ſicut ſcriptum eſt; *Et excitauit Dominus ſatanam ipſi Salomoni.* 3.Reg 11.14 Et ideò ſcriptum eſt. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Apoc. 3.11. Quod vtique Dominus non minaretur, auferri poſſe coronam juſtitiæ; niſi quia recedente juſtitia, recedat neceſſe eſt & corona. Confeſſio exordium gloriæ eſt, non meritum jam coronæ; nec perficit laudem, ſed initiat dignitatem; cúmque ſcriptum ſit; *Qui perſeuerauerit vſque ad finem, hic ſaluus erit,* Mat. 10.22. quidquid ante finem fuerit, gradus eſt quo ad faſtigium ſalutis aſcenditur, non terminus quo jam culminis ſumma teneatur. Confeſſor eſt, ſed poſt confeſſionem periculum majus eſt: quia plùs aduerſarius prouocatus eſt. Confeſſor eſt; hoc magis ſtare debet cum Domini Euangelio, per Euangelium gloriam conſecutus à Domino. Ait enim Dominus: *Cui multum datur, multum quæretur ab eo, & cui plus dignitatis adſcribitur, plus de illo exigitur ſeruitutis.* Luc. 12 48 Nemo per Confeſſoris exemplum pereat: nemo injuſtitiam, nemo inſolentiam, nemo perfidiam de Confeſſoris moribus diſcat. Confeſſor eſt, ſit humilis & quietus, ſit in actu ſuo cum diſciplina modeſtus; vt qui Chriſti Confeſſor dicitur, Chriſtum quem confitetur imitetur. Nam cùm dicat ille: *Qui ſe extollit, humiliabitur; & qui humiliat ſe, exaltabitur;* Luc. 18. 14. & ipſe à Patre exaltatus ſit, quia ſe in terris ſermo, & virtus, & ſapientia Dei Patris humiliauit: quomodo poteſt extollentiam diligere, qui & nobis humilitatem ſua lege mandauit, & ipſe à Patre ampliſſimum nomen præmio humilitatis accepit? Confeſſor eſt Chriſti; ſed ſi non poſtea blaſphemetur per ipſum majeſtas & dignitas Chriſti. Lingua Chriſtum confeſſa non ſit maledica, non turbulenta, non conuiciis & litibus perſtrepens audiatur; non contra fratres & Dei Sacerdotes, poſt verba laudis ſerpentis venena jaculetur. Cæterùm ſi culpabilis & deteſtabilis poſtmodum fuerit, ſi confeſſionem ſuam mala conuerſatione prodegerit, ſi vitam ſuam turpi fœditate maculauerit; ſi Eccleſiam denique, vbi Confeſſor factus eſt, derelinquens, & vnitatis concordiam ſcin-

dens, fidem primam perfidiâ posteriore mutauerit, blandiri sibi per confessionem non potest, quasi sit electus ad gloriæ præmium; quando ex hoc ipso magis creuerint merita pœnarum. Nam & Iudam inter Apostolos Dominus elegit, & tamen Dominum Iudas postmodum prodidit. Non tamen icćirco Apostolorum fides & firmitas cecidit, quia proditor Iudas ab eorum societate defecit: sic & hîc non statim Confessorum sanctitas & dignitas comminuta est, quia quorumdam fides fracta est. Beatus Apostolus in Epistola

Rom. 3. 3. sua loquitur dicens: *Quid enim si exciderunt à fide quidam illorum, nunquid infidelitas illorum fidem Dei euacuauit? absit. Est enim Deus verax, omnis autem homo mendax.* Stat Confessorum pars major & melior in fidei suæ robore, & in legis ac disciplinæ Dominicæ veritate. Nec ab Ecclesiæ pace discedunt, qui se in Ecclesia gratiam consecutos de Dei dignatione meminerunt: atqui hoc ipso ampliorem consequuntur fidei suæ laudem, quòd ab eorum perfidia segregati, qui juncti confessionis consortio fuerunt, à contagio criminis recesserunt; vero illuminati Euangelij lumine, pura & candida Domini luce radiati, tam sunt in conseruanda Christi pace laudabiles, quàm fuerunt in diaboli congressione victores.

Opto equidem, dilectissimi Fratres, & consulo pariter & suadeo; vt, si fieri potest, nemo de fratribus pereat, & consentientis populi corpus vnum gremio suo gaudens mater includat. Si tamen quosdam schismatum duces, & dissensionis auctores, in cæca & obstinata dementia permanentes, non potuerit ad salutis viam consilium salubre reuocare: cæteri tamen vel simplicitate capti, vel errore inducti, vel aliqua fallentis astutiæ calliditate decepti, à fallaciæ vos laqueis soluite, vagantes gressus ab erroribus liberate, iter rectum viæ cælestis agnoscite. Contestantis Apostoli

Vitanda hæreticorũ & schismaticorũ consortia.

2. Thes. 3. 6. vox est; *Præcipimus vobis*, inquit, *in nomine Domini nostri* IESV CHRISTI, *vt recedatis ab omnibus fratribus ambulantibus inordinatè, & non secundùm traditionem quam acceperunt à*

Ephes. 5. 6. *nobis.* Et iterum dicit: *Nemo vos decipiat inanibus verbis. Propterea enim venit ira Dei super filios contumaciæ. Nolite ergo esse participes eorum.* Recedendum est à delinquentibus, vel immò fugiendum, ne dum quis malè ambulantibus jungitur,

& per itinera erroris & criminis graditur, à via veri itineris exerrans, pari crimine & ipse teneatur. Deus vnus est, & Christus vnus, & vna Ecclesia ejus, & fides vna, & plebs in solidam corporis vnitatem concordiæ glutino copulata. Scindi vnitas non potest, nec corpus vnum discidio compaginis separari, diuulsis laceratione visceribus in frusta discerpi. Quidquid à matrice discesserit, seorsum viuere & spirare non poterit, substantiam salutis amittit. Monet nos Spiritus sanctus & dicit: *Quis est homo, qui vult vitam, & amat videre dies optimos? Contine linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur insidiosè. Declina à malo & fac bonum, quære pacem & sequere eam.* Pacem quærere debet & sequi filius pacis; à dissensionis malo continere linguam suam debet; qui nouit & diligit vinculum charitatis. Inter sua diuina mandata & magisteria salutaria, passioni jam proximus Dominus addidit dicens: *Pacem dimitto vobis, pacem meam do vobis.* Hanc nobis hereditatem Christus dedit: dona omnia suæ pollicitationis & præmia in pacis conseruatione promisit. Si hæredes Christi sumus; in Christi pace maneamus. Si filij Dei sumus, pacifici esse debemus: *Beati*, inquit, *pacifici, quoniam ipsi filij Dei vocabuntur.*

Psal. 33. 14. *Ioan. 14. 27* *Mat. 5. 9.*

Pacificos esse oportet Dei filios, corde mites, sermone simplices, affectione concordes, fideliter sibi vnanimitatis nexibus cohærentes. Hæc vnanimitas sub Apostolis olim fuit; sic nouus credentium populus Domini mandata custodiens charitatem suam tenuit. Probat scriptura diuina quæ dicit: *Turba autem eorum qui crediderant, anima & mente vna agebant.* Et iterum: *Et erant perseuerantes omnes vnanimes in oratione cum mulieribus, & Mariâ, quæ fuit Mater* IESV, *& fratribus ejus.* Et ideo efficacibus precibus orabant, ideo impetrare cum fiducia poterant quodcunque de Domini misericordia postulabant. In nobis verò sic vnanimitas diminuta est, vt & largitas operationis infracta est. Domos tunc & fundos venundabant, & thesauros sibi in cælo reponentes, distribuenda in vsus indigentium pretia Apostolis offerebant. At nunc de patrimonio nec decimas damus; & cùm vendere jubeat Dominus, emimus potiùs & augemus. Sic in nobis emarcuit vigor fidei, sic credentium robur elanguit; & iccirco Dominus tempora nostra respiciens, in

Pacem & concordiã sectari debet Christianus.

Act. 4. 32. *Ibid. 1. 14.*

Luc. 18. 8. Euangelio ſuo dicit: *Filius hominis cùm venerit, putas, inueniet fidem in terra?* videmus fieri quod ille prædixit. In Dei timore, in lege juſtitiæ, in dilectione, in opere fides nulla eſt. Nemo futurorum metum cogitat, diem Domini, & iram Dei: & incredulis ventura ſupplicia, & ſtatuta perfidis æterna tormenta nemo conſiderat. Quod metueret conſcientia noſtra, ſi crederet; quia non credit omnino, nec metuit: ſi autem crederet, & caueret: ſi caueret, euaderet. Excitemus nos quantum poſſumus, dilectiſſimi Fratres, & ſomno inertiæ veteris abrupto ad obſeruanda & gerenda Domini præcepta vigilemus. Simus tales, quales eſſe nos ipſe
Luc. 12. 35. præcepit dicens: *Sint lumbi veſtri accincti, & lucernæ ardentes: & vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum quando veniat à nuptiis, vt cùm venerit & pulſauerit, aperiant ei. Beati ſerui illi, quos aduenients Dominus inuenerit vigilantes.* Accinctos nos eſſe oportet, ne cùm expeditionis dies venerit, impeditos nos & implicitos apprehendat. Luceat in bonis operibus noſtrum lumen & fulgeat, vt ipſum nos ad lucem claritatis æternæ de hac ſeculi nocte perducat. Expectemus ſoliciti ſemper & cauti aduentum Domini repentinum, vt quando ille pulſauerit, euigilet fides noſtra, vigilantiæ præmium de Domino receptura. Si hæc mandata ſeruentur, ſi hæc monita & præcepta teneantur, opprimi dormientes diabolo fallente non poſſumus, ſerui vigiles Chriſto dominante regnabimus.

DE DISCIPLINA, ET BONO PVDICITIÆ.

LIBER S. CYPRIANO ASCRIPTVS.

ALIQVAS officiorum meorum partes non æstimo præteriſſe, dum ſemper enitor vel maximè quotidianis Euangeliorum tractatibus, aliquando vobis fidei & ſcientiæ per Dominum incrementa præſtare. Quid enim aliud in Eccleſia Domini vtilius geri, quid accommodatius officio Epiſcopi poteſt inueniri, quàm vt doctrinâ diuinorum per ipſum inſinuatâ collatâque verborum, poſſint credentes ad repromiſſum regnum peruenire cælorum? Hoc certè mei & operis & muneris, quotidianum votiuum negotium, abſens licet, obtinere connitor, & per literas præſentiam meam vobis reddere conor, dum vos ſolito more allocutionibus miſſis in fide interpello: ideo conuenio, vt Euangelicæ radicis firmitate ſolidati, aduerſus omnia diaboli prælia ſtetis ſemper armati; abſentem me non credam, ſi fuero ſecurus. Veruntamen omnia quæ vtiliter proferuntur & æternæ vitæ ſtatum tractantibus, vel diffiniunt, vel promittunt, ita demum fructuoſa ſunt, ſi ad emolumentum operis diuinæ indulgentiæ viribus adjuuentur. Non ſolùm proferimus verba, quæ de ſcripturarum ſacris fontibus veniunt, ſed cum ipſis verbis preces ad Dominum & vota ſociamus, vt tam nobis quàm vobis, & ſacramentorum ſuorum theſauros aperiat, & vires ad implenda, quæ cognoſcimus, tribuat; periculum enim majus eſt, voluntatem Domini cognouiſſe, & in Dei voluntatis opere ceſſaſſe. *Luc. 12.47.*

Quamuis ergo ad multa vos negotia, ad diuinæ monitionis præcepta ſemper, vt ſcitis, exhorter (quid enim mihi aliud votiuum aut majus poteſt eſſe, quàm vt per omnia perfecti ſtetis in Domino) tamen vt præcipuæ pudicitiæ clauſtra teneatis, quod & facitis, admoneo, ſcientes templum eſſe vos Domini, membra Chriſti, habitationem Spiritus *1 Cor. 6. 15. & 19.*

ſancti, electos ad ſpem, conſecratos ad fidem, deſtinatos ad ſalutem: filios Dei, fratres Chriſti, conſortes Spiritus ſancti, nihil jam carni debentes quaſi renatos ex aqua & pudicitia præter voluntatem, quam velle debemus vt noſtra ſit: præſtetur etiam propter redemptionem, vt corrumpi non poſſit, quæ à Chriſto conſecrata ſit. Nam ſi Apoſtolus Ecclesiam, ſponſam Chriſti pronuntiat, oro vos quanta pudicitia exigitur, vbi Eccleſia inter matrimonia ſponſa virgo præſtetur? Et ego quidem, niſi quòd breuiter vos admonere propoſui, latiſſimas ſatis puto & locupletes pudicitiæ laudes proferre potui, ſed ſuperuacuum duxi laudare eam diutiùs apud colentes. Vos enim illam ornatis dum geritis, & plures ejus laudes exercendo profertis, facti ejus ornamentum, dum & illa veſtrûm eſt, mutuo decore inuicem fœnerando. Illa vobis diſciplinam bonorum ſuggerit morum, vos illi miniſterium præſtatis operum ſanctorum. Nam & illa quantum & quid poſſit, per vos apparuit: & quid vos velitis, ipſa demonſtrauit & docuit, copulatis in vnum duobus bonis mandatorum & rerum, ne quid mutilum videretur, ſi aut præcepta miniſteriis, aut præceptis miniſteria defuiſſent.

Epheſ. 5.

Pudicitia quid ſit.

Pudicitia eſt honor corporum, ornamentum morum, ſanctitas ſexuum, vinculum pudoris, fons caſtitatis, pax domus, concordiæ caput. Pudicitia ſolicita non eſt cui placeat, niſi ſibi: pudicitia ſemper verecunda, dum innocentiæ mater eſt: pudicitia ſemper ornatur ſolo pudore, benè ſibi tunc conſcia de pulchritudine, ſi improbis diſplicet; pudicitia nihil ornamentorum quærit, decus ſuum ipſa eſt. Hæc nos commendat Domino, connectit Chriſto: hæc expugnat omnia de membris illicita deſideriorum prælia, pacem noſtris corporibus inducit: beata ipſa & beatos efficiens, apud quoſcunque habitare dignatur: quam nunquam accuſare poſſunt, nec qui eam non habent: venerabilis etiam hoſtibus ſuis, dum illam multo magis mirantur, qui eam expugnare non poſſunt.

Impudicitia quàm deteſtandū vitium.

Sed vt matura & in viris probata ſemper, & à fœminis appetenda: ſic inimica ejus impudicitia ſemper eſt deteſtanda, obſcœnum ludibrium reddens miniſtris ſuis, nec corporibus parcens nec animis. Debellatis enim propriis moribus, totum hominem ſuum ſub triumphum libidinis mittit: blan-

da priùs, vt plus noceat dum placet, exhauriens rem cum pudore, hostis continentiæ, frequenter perueniens ad sanguinem: cupiditatum infesta rabies, incendium conscientiæ bonæ, mater impœnitentiæ, ruina melioris ætatis, contumelia generis, expugnans sanguinis & familiæ fidem, alienis affectibus suos inserens filios, in aliena testamenta sobolem ignoti & corrupti generis inducens. Quæ plerunque extra sexum ardens, dum se non continet intra concessa, parum sibi putat satisfactum, nisi in virorum quoque corporibus non voluptatem nouam quærat, sed extraordinaria & portentosa contra ipsam naturam ex viris per viros monstra conquirat.

Sed enim pudicitia locum primum in virginibus tenet, secundum in continentibus, tertium in matrimoniis. Verùm in omnibus gloriosa est cum gradibus suis: nam & matrimoniorum fidem tenere, laus est inter tot corporis bella: & matrimonio de continentia modum statuisse, majoris virtutis est, dum etiam licita rejiciuntur. Certè ex vtero sanctitatem custodisse, & infantem se vsque in senectutem in sua ætate tota tenuisse, admirandæ vtique potentiæ est: nisi quòd blandas corporis leges non nosse, magis felicitatis est; notas jam vicisse, virtutis est: sic tamen vt & virtus ista de dono Dei veniat, licet se in membris hominibus ostendat. Pudicitiæ tres gradus.

Pudicitiæ, fratres, antiqua præcepta sunt. Quare antiqua dico? quia cum ipsis hominibus instituta sunt. Nam & ideò vir suus fœminæ est, vt præter eundem alterum nesciat: & ideò viro reddita est mulier, vt subjecto quod fuerat ei proprium, nihil requirat alienum. Sic *& duo*, inquit, *erunt in carne vna*, vt in vnum redeat quod vnum fuerat, ne separatio sine reditu occasionem præstet alterius. *Gen. 2. 24.* Inde & Apostolus caput mulieris pronuntiauit virum, vt conjunctione duorum pudicitiam probaret. *Eph. 5. 23.* Nam vt alterius caput membris aptum non potest esse, ita & alieno capiti membra non sua: caput enim suis conuenit membris & membra capiti suo; vtraque naturali fibulâ in concordia mutua cohærent, ne qua oriente discordia, de diuisione membrorum pactum diuini fœderis rumperetur. Addit tamen & dicit: *Quoniam qui vxorem suam diligit, seipsum diligit. Nemo enim carnem suam odio habet: sed nutrit & fouet eam, sicut & Christus Ecclesiam.* *Ibid. 28.* Charitatis cum pudicitia ex hoc

magna præscriptio, si vxores diligendæ sunt à viris suis, sicut & Christus dilexit Ecclesiam: & ita vxores maritos debent diligere, vt Ecclesia diligit Christum. Hanc sententiam Christus, quando vxorem dimitti non nisi ob adulterium dixit, interrogatus tantum honorem pudicitiæ dedit. Hinc nata est illa sententia: *Adulteras non sinetis viuere.* Hinc Apostolus dicit: *Hæc est voluntas Dei, vt abstineatis vos à fornicatione.* Hinc & illud dicit, Membra Christi, membris meretricis non esse jungenda. Hinc traditur satanæ in interitum carnis, qui proculcato jure pudicitiæ, vitia carnis exercet. Hinc meritò regnum cælorum non tenent adulteri: hinc est, omne peccatum extra corpus esse, solum adulterum peccare in suum corpus: hinc cæteræ præceptorum auctoritates, quas nunc recolere omnes non est necesse, apud vos præsertim qui illas nostis frequenter & facitis, quæ licet descripta non sint, queruli tamen de his non potestis esse. Adulter enim non habet excusationem, aut habere potuit, quia ducere licebat vxorem.

Mat. 19. 5. Leu. 20. 10. 1. Thes. 4. 3. 1. Cor. 6. 15. Ibid 5. 5. Ibid. 6. 10. Ibid. 18.

Sed sicut matronis jura præscripta sunt, quæ ita sunt nexæ, vt diuelli inde non possint: virginitas verò & continentia extra jus omne sunt, nihil ad virginitatem de matrimoniorum legibus pertinet: altitudine sua transcendit omnes. Si vlla praua hominum leges ausa supergredi conantur, Virginitas æquat se Angelis; si verò exquiramus, etiam excedit, dum in carne luctata, victoriam etiam contra naturam refert, quam non habent Angeli. Virginitas quid aliud est, quàm futuræ vitæ gloriosa meditatio? virginitas neutri sexus est: virginitas est perseuerans infantia: virginitas est voluptatum triumphus: virginitas filios non habet, sed quod plus est, filiorum contemptum habet: non habet fœcunditatem, sed non habet orbitatem: felix, quòd est extra partus dolorem, felicior autem, quòd est extra funerum filiorum calamitatem. Virginitas quid aliud est quàm soluta libertas? maritum non habet dominum; virginitas affectionibus omnibus soluta est. Non matrimoniis est dicata, non seculo, non liberis. Persecutionem non potest timere, dum illam de securitate potest prouocare.

Sed quia pudicitiæ nobis breuiter sunt exposita præcepta, jam pudicitiæ ponamus exemplum; plus enim profici-

tur cùm in rem præſentem venitur, nec de virtute dubitatur, quando quod præcipitur, exemplis etiam ſignatur. Exemplum pudicitiæ à Ioſeph cœpit. Adoleſcens Hebræus generoſus de patre, generoſior de innocentia, ob inuidiam reuelationum diſtractus à fratribus Iſmaëlitis, in domum deuenerat hominis Ægyptij, obſequio & innocentia & tota ſeruitutis fide facilem & beneuolum in ſe animum ſui prouocauerat domini: cujus faciem tam ſermo liberalis, quàm ætas omnibus commendauerat. Sed iſta generoſitas ab vxore domini aliter quàm decebat, accepta eſt, in domus parte ſecreta, & ſine arbitris alta, & facinoribus accommoda, putauit ſe pudicitiam adoleſcentis incontinens mulieris impudicitia nunc promiſſis, nunc minis poſſe ſuperare. Et cùm retentus eſt veſtibus, eo quòd moliretur fugam propter tanti facinoris audaciam, ipſas veſtes relinquens, & corporis nudi ſinceritatem habiturus innocentiæ teſtem, ad crimen impudicitiæ ſuæ impudens mulier adjicere non dubitauit calumniam: & cæteris & marito ſqualida & feruens, ſpreto deſiderio ſuo, conqueſta eſt dolore ſimulato, quòd Hebræus adoleſcens vim ſibi molitus fuiſſet inferre, quam ipſa conata fuerat irrogare. Maritalis ardor rerum inſcius, & vxoris accuſatione grauiter inflammatus, incenditur: pudicus verò juuenis, quia delicto conſcientiam non miſcuit, in imum carceris truditur. Sed ſola non eſt in carcere pudicitia: nam eſt cum Ioſeph Deus, & nocentes dantur in manu ejus, quia innocens fuerat. Somniorum præterea obſcura diſſoluit, quia ſpiritus in tentatione vigilabat, & per Dominum liberatur à vinculis. Qui in domo minor cum periculo fuerat, regiæ domus ſine periculo dominus effectus eſt, generoſitati ſuæ redditus, fructum pudicitiæ & innocentiæ, Deo judice, à quo meruerat, accepit.

Gen. 37. & 39.

Gen. 40. & 41.

Sed non minùs ex parte diuerſa, aliud nobis pudicitiæ ſimile de continentia fœminarum exoritur exemplum. Fuit, vt legimus, Suſanna filia Helciæ, vxor Ioachim pulcherrima, pulchrior moribus. Hanc nullum ad dedecorem commendabat ſpecies: ſimplex enim erat; excoluerat pudicitia, & cum pudicitia ſola natura: Hanc ex ſenioribus duo cœperant deperire, nihil memores nec diuini timoris, ſed nec ſuæ annis jam marceſcentis ætatis: ita illos in flagrantia tran-

Dan. 13.

factæ juuentutis incendia, rediuiuæ libidinis flamma reuocabat: pudicitiæ latrones amorem profitentur, ſed oderant. Reſiſtenti minantur calumnias, adulterij ſe dicunt accuſatores, voto adulteri. Inter duos libidinis ſcopulos auxilium de Domino petebat, quia viribus corporis repugnare non valebat. Et exaudiuit de cælo clamantem ad ſe pudicitiam Dominus, & cum iniquitate oppreſſa duceretur ad pœnam, vidit inimicorum liberata vindictam. Bis victrix, & in periculo ſuo tam funeſtè toties conſepta, & libidinem euaſit & mortem.

Infinitum erit, ſi exempla proſequar plura: his duobus contentus ſum, præſertim cùm omnibus ſit viribus par iſta* pudicitia defenſata. Non illos emollire potuit in vita generoſi ſanguinis memoria, quæ in quoſdam licentia laſciuiæ eſt miniſtra: non decor corporis, & aptè poſitorum figura membrorum, quæ ſuggerit plerunque vt quaſi flos quidam, properans velociter tranſituræ ætatis porrecta voluptatis occaſione paſcatur: non anni primi virentis, ſed majoris ætatis, cùm rudis adhuc ſanguis æſtuans, naturæ flammas accendat, & in medullis verſata cæca incendia ad remedium, verùm etiam per periculum pudoris itura: non vlla latebrarum, & ſine vllo conſcio, quæ tuta quibuſdam putatur occaſio, quæ maxima vis eſt admittendi ſceleris, cùm deliberationibus occurrit impunitas. Non poſita neceſſitas de auctoritate jubentium, & in temeritate participum atque ſociorum, quo genere franguntur etiam ſæpe recta conſilia. Non præmia ipſa & bonitas, non accuſationes, non minæ, non pœnæ, non mortes; nihil tam ſæuum, tam durum, tam triſte, quàm cecidiſſe de alto pudicitiæ gradu. Digni tanto judicis diuini præmio, quorum alter regio penè throno illuſtraretur, altera concordiâ mariti dotata inimicorum mortibus redimeretur. Hæc ſunt & his ſimilia ſemper nobis ante oculos exempla ponenda, his paria diebus noctibuſque meditanda.

* al. pectus.

Nihil animum fidelem ſic delectat, quàm integra immaculati pudoris conſcientia. Voluptatem viciſſe, voluptas eſt maxima: nec vlla major eſt victoria, quàm ea quæ de cupiditatibus refertur. Qui hoſtem vicit, fortior fuit, ſed altero: qui libidinem repreſſit, ſeipſo fortior fuit; qui inimicum proſtrauit, externum hoſtem percuſſit: qui cupiditatem depreſſit, hoſtem domeſticum ſuperauit. Malum omne faciliùs vincitur

quàm voluptas, quia illud quicquid eſt, horridum eſt, hoc blandum eſt. Nihil tam difficilè opprimitur, quàm quod per illud armatur. Qui cupiditates tollit, & metus ſuſtulit: nam ex cupiditatibus metus veniunt: qui cupiditates vincit, de peccato triumphat: qui cupiditates vincit, malum generis humani ſub pedibus ſuis jacere oſtendit: qui cupiditates vicit, pacem ſibi perpetuam dedit: qui cupiditates vicit, libertatem ſibi, quod eſt etiam ingenuis difficillimum, reddidit. Meditanda ergo nobis fratres, vt res docent, ſemper pudicitia: quo facilior ſit, nullis artibus conſtat. Quæ enim illa conſummata voluntas, quæ niſi impediretur, longè eſt, ſed noſtra eſt, ita non eſt acquirenda, ſed fouenda quæ noſtra eſt. Quid eſt enim aliud pudicitia, quàm mens honeſta ad cuſtodiam corporis data, vt ſexibus redditus pudor ſeueritate ſignatus, fidem honoris de incorrupta ſobole ſeruaret.

Pudicitiæ autem, fratres, competunt & cogniti ſunt in primis diuinus pudor, & præceptorum ſancta meditatio, & animus propenſus ad fidem, & mens attonita ad ſacram religionem: deinde videre, ne quid in ſe vltra modum ſculptum, vltra honeſtatem productum, ne quid proditum, ne quid arte fucatum ne quid ad irritandos, aut redintegrandos dolos lenocinatum. Non eſt pudica quæ affectat animum alterius mouere, etiam ſalua corporis caſtitate. Longè abſint quibus pulchritudo non ornatur, ſed proſtituitur: nam ſolicitudo de pulchritudine, & malæ mentis indicium & deformitatis eſt. Sit natura corporis libera, nec diuinis operibus inferatur vis. Semper eſt miſera, quæ ſibi non placet qualis eſt. Quid capillorum mutatur color? quid oculorum extremitates ſuffuſcantur? quid facies artibus in diuerſam formam conuertitur? quid poſtremò ſpeculum conſulitur, niſi quia ne ipſa ſit timetur? Cultus etiam mulieris pudicæ pudicus ſit, adulterium fidelis nec in coloribus nouerit. Veſtibus aurum intexere, quaſi pretio eſt veſtes corrumpere. Quid inter fila ſtaminum delicata, rigida faciunt metalla, niſi vt fluentes humeros premant, & luxuriam infeliciter ſe animi iactantis oſtendant? Quid cùm ceruices peregrinis lapidibus vrgentur, & abſconduntur, quorum pretia etiam ſine artibus Kalendarium cujuſvis excedunt? Non ornatur mulier, ſed vitia mulieris oſtenduntur. Quid cùm digiti tali auro onerati, nec intrare poſſunt, nec egredi? vtrum vſus ex-

poſcitur, an patrimoniorum inanis pompa monſtratur? Mirum negotium, mulieres ad omnia delicatæ, ad vitiorum ſarcinas fortiores ſunt viris.

Sed vt repetam quæ cœperam, colenda ſemper pudicitia viris & fœminis, omni cuſtodia ſeruanda eſt intra limites ſuos. Citò natura corporis periclitatur in corpore, dum rapit illam ſecum caro quæ ſemper in lapſu eſt. Sub prætextu quippe naturæ quæ homines ſemper vrget ad affectus, quibus ruinæ collapſi generis reſarciuntur, blandimento voluptatis fallens, non ducit ad continentiam legitimæ conjunctionis ſobolem, ſed jactat in crimen. Ergo contra has carnis inſidias, quibus ſe diabolus & ſocium ingerit & ducem facit, obluctandum eſt omni genere virtutis. Aſſumantur ſecundùm Apoſtolum, Chriſti opera, & à conſortio carnis, quantum poteſt, animus colligatur: ſeparetur conſenſus à corpore, vitia ſemper caſtigentur vt odiantur. Ante oculos obuerſetur deformis eſſe atque dejectus peccati pudor. Pœnitentia ipſa cum luctibus ſuis commiſſorum criminum inhoneſta conteſtatio eſt. Nihil conſideretur curioſè in alienis vultibus; ſermo & breuis ſit, & ſobrius riſus: ſignum eſt enim animi facilis & remiſſi: nam contactus recedat etiam honeſtus; nihil corpori liceat, vbi vitandum eſt corporis vitium. Cogitetur, quàm honeſtum ſit viciſſe dedecus, quàm inhoneſtum victum eſſe dedecore. Dicendum etiam, quòd adulterium voluptas non eſt, ſed mutua contumelia: nec delectare poteſt, quod & animam interficiat & pudorem. Coërceat animus ſtimulos carnis, refrænet impetum corporis. Accepit enim hanc poteſtatem, vt illi ad imperium ejus membra ſeruirent, & quaſi legitimus ac perfectus auriga vltra conceſſas corporis metas extollentes ſe carnis impetus, cæleſtium præceptorum habenis reflectat, ne vltra terminos ſuos currus iſte corporis raptus, in periculum ſuum ſecum & ipſum rapiat aurigam. Sed inter hæc, immo ante hæc, contra turbas & vitia omnia de diuinis caſtris auxilium petendum eſt: ſolus enim potens eſt Deus, qui homines dignatus eſt facere, & plena hominibus auxilia præſtare. Ego pauca dictaui, quoniam non eſt propoſitum volumen ſcribere, ſed allocutionem tranſmittere. Vos ſcripturas aſpicite, exempla vobis de ipſis præceptis hujus rei majora conquirite. Fratres chariſſimi bene valete.

REGVLA

REGVLA S. PACHOMII ABBATIS,

A SANCTO HIERONYMO in Latinum ſermonem conuerſa.

PRÆFATIO S. HIERONYMI.

QVAMVIS acutus gladius & læuigatus, ſi diu in vagina conditus fuerit, ſordeſcit rubigine, & ſplendorem priſtini decoris amittit. Vnde ego mœrens ſuper dormitione ſanctæ & venerabilis Paulæ (non quò contra præceptum Apoſtoli facerem, ſed quò multorum inciſa illius morte refrigeria ſuſpirarem) accepi libros ab homine Dei Siluano Preſbytero mihi directos, quos ille Alexandriâ miſſos ſuſceperat, vt mihi injungeret transferendos. Ajebat enim quòd in Thebaïde, & in Monaſterio Metanœæ, quod de Tanabo in pœnitentiam felici nominis conuerſione mutatum eſt, habitarent plurimi Latinorum, qui ignorant Ægyptiacum Græcúmque ſermonem, quo Pachomij, & Theodori, & Oreſieſis præcepta conſcripta ſunt, qui primi per Thebaïdem & Ægyptum Cœnobiorum fundamenta jecerunt juxta præceptum Dei & Angeli, qui à Deo ſub hanc

ipſam inſtitutionem miſſus fuerit. Itaque quia diu tacueram, & dolorem meum ſilentio deuoraram; vrgebant autem miſſi ad me ob hanc ipſam cauſam Leontius Preſbyter & cæteri cum eo Fratres, accito notario, vt erant de Ægyptiaca in Græcam linguam verſa, noſtro ſermone dictaui, vt & tantis viris imperantibus, ne dicam rogantibus obedirem, & bono, vt aiunt, auſpicio longum ſilentium rumperem, reddens me priſtiniis ſtudiis, & ſanctæ fœminæ refrigerans animam, quæ Monaſteriorum ſemper amore flagrauit, & quod viſura erat in cælo, hoc in terris meditata eſt; Venerabilis quoque virgo Chriſti Euſtochium haberet, quod Sororibus legendum tribueret, noſtríque Fratres Ægyptiorum, hoc eſt, Tabennenſium Monachorum exempla ſequerentur, qui habent per ſingula Monaſteria Patres, & Diſpenſatores, & Hebdomadarios, ac Miniſtros, & ſingularum domorum Præpoſitos; ita vt in vna domo quadraginta plùs minúſve Fratres habitent, qui obediant Præpoſito; ſintque pro numero Fratrum, triginta vel quadraginta domus in vno Monaſterio, & ternæ vel quaternæ domus in vnam tribum fœderentur, vt vel ad opera ſimul vadant, vel in hebdomadarum miniſterio ſibi ſuccedant per ordinem. Quicunque autem Monaſterium primus ingreditur, primus ſedet; primus ambulat, primus pſalmum dicit, primus in menſa manum extendit, prior in Eccleſia communicat: nec ætas inter eos quæritur, ſed profeſſio. Nihil habent in cellulis præter pſiathium, & duo lebitonaria (quod Ægyptiis Monachis genus veſtimenti eſt ſine manicis) & vnum jam attritum ad dormiendum vel operandum, & amictum lineum, cuculláſque duas, & caprinam pelliculam, quam melotem vocant, balteolum lineum, & caligas, ac baculum itineris ſocium. Ægrotantes miris ſuſtentantur obſequiis, & ad omnem copiam præparatis cibis: ſani majori pollent abſtinentiâ. Bis in hebdomada, die quartâ, & ſextâ Sabbathi ab omnibus jejunatur, exceptâ Pentecoſte; aliis diebus comedunt qui volunt poſt meridiem; & in cœna ſimiliter menſa ponitur propter laborantes, ſenes, & pueros, æſtúſque grauiſſimos. Sunt qui ſecundò parum comedunt, alij qui prandij ſiue cœnæ horâ vno tantùm cibo contenti ſunt; nonnulli guſtato paululùm pane egrediuntur. Omnes pariter co-

medunt: qui ad mensam ire noluerit, cellulâ * suâ panem tantùm, & aquam, ac sal accipit, siue vno die voluerit, siue biduo. Cúmque Major, vel stans prior in gradu manu percusserit, de scripturis quidpiam reuoluens memoriter, vt oratio finitur, nullus consurgit tardiùs, sed omnes pariter eleuantur. Nemo aspicit alterum operantem, sed defixis luminibus vnusquisque in suo opere intentus est, &c. *j. In cellula.

INCIPIT REGVLA S PACHOMII

HÆC sunt præcepta vitalia, * nobis à Majoribus tradita. * j. spiritalia.

1. Si acciderit vt psallendi tempore, vel orandi, aut in medio lectionis aliquis loquatur, aut rideat: illicò soluet cingulum, & inclinata ceruice, manibus ad inferiora depressis, stabit ante altare, & à Principe Monasterij increpabitur. Hoc idem faciet & in Conuentu Fratrum cùm ad vescendum pariter conuenerint.

2. QVANDO ad Collectam* tuba insonuerit per diem, qui vna oratione tardiùs venerit, superioris increpationis ordine increpabitur, & stabit in loco vescendi. Noctu verò, quia corporis infirmitati plus aliquid conceditur, qui post tres orationes venerit; eodem in Collecta & in vescendi loco, ordine corripietur. *j. Synaxin Officij diuini. al. Clangor tubę increpuerit.

¶ Sin autem nocte signum insonuerit, ne steteris ad focum, qui propter calefacienda corpora & repellendum frigus ex more succenditur: nec otiosus in Collecta sedebis,

ſed funiculos in mattarum ſtamina manu celeri præparabis; abſque infirmitate duntaxat corpuſculi, cui ceſſandi tribuitur venia.

3. QVANDO in Collecta orant Fratres, nemo egrediatur abſque juſſione Majorum, niſi interrogauerit, conceſſúmque ei fuerit exire pro naturæ neceſſitate.

4. OMNES memoriter retexent quæ ſibi fuerint imperata, de quibus ſi quis oblitus aliquid fuerit, aut hæſitauerit in dicendo, negligentiæ & obliuionis increpabitur.

5. IN die Dominica, in Collecta in qua offerenda eſt oblatio, abſque Præpoſito domus, & Majoribus Monaſterij, qui alicujus nominis ſunt, nemo pſallendi habeat poteſtatem. Pſallente autem quolibet de Majoribus, id eſt, dicente reſponſorium, ſi quis defuerit, ſtatim ante altare pœnitentiæ, & increpationis ordinem ſuſtinebit.

6. DE Collecta in qua offerenda eſt oblatio, qui ſine præcepto Majoris exierit, ſtatim increpabitur.

7. MANE per ſingulas domos finitis orationibus non ſtatim ad ſuas cellas reuertentur ſed conferent inter ſe, quæ Præpoſitos audierint diſputantes, & intrabunt cubicula ſua. Diſputatio autem à Præpoſitis domorum per ſingulas Hebdomadas tertiò fiet, & in ipſa diſputatione ſedentes, ſiue ſtantes Fratres ſuum ordinem non mutabunt, juxta domorum ordinem, & hominum ſingulorum.

8. SI quis dormitauerit ſedens, Præpoſito domus vel Monaſterij Principe diſputante, ſurgere ſtatim compelletur, & tandiu ſtabit, donec ei videbitur vt ſedeat.

9. QVANDO ſignum inſonuerit vt conueniant, & audiant præcepta Majorum, nullus remanebit, nec ſuccendetur focus, antequam diſputatio compleatur. Qui vnum mandatum de iis prætererit, prædictæ correptioni ſubjacebit.

10. DIMISSA Collectâ ſinguli egredientes vſque ad cellulas ſuas, & vſque ad veſcendi locum de ſcripturis aliquid meditabuntur, nullúſque habebit opertum caput meditationis tempore.

11. CVM autem ad veſcendum venerint, ſedebunt per ordinem ſtatutis locis, & operient capita. Statímque vt tibi à Majore fuerit imperatum vt de alia menſa ad aliam tranſeas, ire debebis, in nullo penitus contradicens. Nec ante

Præpositum domus tuæ manum in mensa extendas, nec circunspicias vescentes alios. Vnusquisque Præpositorum docebit in domo sua quomodo debeant cum disciplina & mansuetudine comedere. Quòd si quis vel locutus fuerit, vel riserit vescendi tempore; aget pœnitentiam, & in eodem loco mox increpabitur, & stabit donec surgant alij de vescendo.

12. Si quis ad comedendum tardiùs aduenerit excepto Majoris imperio; similiter aget pœnitentiam, aut domum jejunus reuertetur.

13. Si aliquid necessarium fuerit ad mensam; nemo audebit loqui, sed ministrantibus signum sonitu dabit.

14. Si egressus fueris à cibo, ne loquaris in redeundo donec ad locum tuum perueneris.

15. Ministri absque his, quæ in commune Fratribus præparata sunt, nihil aliud comedant: nec mutatos cibos sibi audeant præparare.

16. Qui percutit * ad vescendum, dum congregantur Fratres, meditetur * aliquid in percutiendo.

* i. dat signum percutiendo tabellam.

17. Qui ante fores conuiuij egredientibus erogat Fratribus dulciamina, in tribuendo meditetur aliquid de scripturis.

* i. cantet, vel recitet.

18. Qui suscipit ea quæ dantur, non in cuculla, sed in pelle accipiat; neque gustabit de iis quæ acceperit donec ad domum peruenerit. Ipse autem qui cæteris diuidit, suam partem à Præposito accipiat. Quod & cæteri ministri faciant, accipientes ab alio, & nihil sibi suo arbitrio vendicantes. Nemini plus alteri dabit, quàm alter acceperit: quòd si obtenditur infirmitas, Præpositus domus perget ad ministros ægrotantium, & ab eis quæ necessaria sunt accipiet.

19. Si de ipsis ministris aliquis ægrotauerit, * non habebit licentiam introeundi in coquinam vel cellarium, & sibi aliquid auferendi, sed cæteri ministri id quod ei necessarium viderint, dabunt. Nec permittetur coquere sibi quod desiderabit: sed Præpositi domorum, quæ necessaria viderint ei, ab aliis ministris accipient.

* al. languerit.

20. Nullus introeat locum ægrotantium qui non ægrotat. Qui ægrotauerit, à Præposito domus ducetur in tricliníum ægrotantium: quod si opus habuerit palliolo, aut tu-

nicâ, aut cæteris quæ ad operiendum, vel ad veſcendum neceſſaria ſunt, ipſe Præpoſitus accipiet à miniſtris, & dabit ægrotanti. Nec poterit languidus ingredi cellam veſcentium, & comedere quod deſiderat; niſi à miniſtro, qui huic rei præpoſitus eſt, ducatur ad veſcendum. Non ei licebit de his, quæ acceperit in loco ægrotantium, ferre ad cellulam ſuam, nec pomum quidem.

21. QVI pulmentaria coquunt, ipſi nihil guſtantes edentibus miniſtrabunt.

22. VINVM & liquamen abſque loco ægrotantium nullus attingat.

23. SI aliquis eorum, qui peregrè mittuntur, in itinere vel in naui ægrotauerit, & habuerit neceſſitatem ſiue deſiderium comedendi liquamen de piſcibus, vel aliquid eorum quæ comedere non conſueuerunt; non manducabit cum fratribus cæteris, ſed ſeparabitur, * & dabitur ei à miniſtris ad omnem abundantiam, vt in nullo frater languidus contriſtetur.

*al. Separatum ei dab.

¶ Qui eſt infirmus in itinere, habebit miniſtrum vt eum ſuſtentet. Et omnino ad quemcunque locum miſſi fuerint Fratres, habebunt de Hebdomadariis qui ægrotantibus ſeruiant, ſi fortè in itinere vel agro languor obrepſerit.

24. Ægrotantem abſque conceſſu Majoris, nullus audeat viſitare: nec propinquus quidem, atque germanus ſine imperio Præpoſiti domus miniſtrandi habebunt poteſtatem.

25. SI vnum ex his ab aliquo fuerit prætermiſſum, atque neglectum, increpatione ſolita emendabitur.

26. SI quis acceſſerit ad oſtium Monaſterij volens ſeculo renuntiare, & fratrum adgregari numero; non habebit intrandi libertatem; ſed priùs nuntiabitur Patri Monaſterij, & manebit paucis diebus foris ante januam, & docebitur orationem Dominicam, & pſalmos quantos poterit dicere, & diligenter ſui experimentum dabit, ne fortè mali aliquid fecerit, & turbatus timore ad horam diſceſſerit, aut ſub aliqua poteſtate ſit; & vtrum poſſit renuntiare parentibus ſuis, & propriam facultatem contemnere. Si eum viderint aptum ad omnia, tunc docebitur & reliquas Monaſterij diſciplinas quas facere debeat; quibuſque ſeruire, ſi-

ue in Collecta omnium Fratrum, siue in domo, cui tradendus est, siue in vescendi ordine; vt instructus, atque perfectus in omni opere bono Fratribus copuletur. Tunc nudabunt eum vestimentis secularibus & induent habitu Monachorum; tradentque ostiario, vt orationis tempore adducat eum in conspectum omnium Fratrum, sedebitque in eo loco, in quo ei præceptum fuerit: vestimenta autem, quæ secum detulerat, accipient qui huic rei præpositi sunt, & inferentur in repositorium* & erunt in potestate Principis Monasterij. * f. vestiarium.

¶ Qui rudis in Collectam sanctorum ingreditur, & quem per ordinem janitor ab ostio Monasterij introduxerit, & sedere fecerit in Conuentu Fratrum, non licebit ei sedendi locum vel ordinem mutare, donec eum transferat.

27. NEMO manens in Monasterio suscipiendi quempiam ad vescendum habeat potestatem, sed mittet eum ad ostium Xenodochij, & suscipiatur ab iis, qui huic rei præpositi sunt.

28. QVANDO ad ostium Monasterij aliqui venerint, si Clerici fuerint, aut Monachi, majori honore suscipiantur: lauabuntque pedes eorum juxta Euangelij præceptum, Ioan. 13. 14. & deducent ad locum Xenodochij; præbebuntque omnia, quæ apta sunt vsui Monachorum. Quòd si voluerint orationis tempore atque Collectæ venire ad Conuentum Fratrum, & ejusdem fidei fuerint: janitor vel minister Xenodochij nuntiabit Patri Monasterij, & sic deducentur ad orandum.

29. SI seculares homines, aut debiles, aut vasa infirmiora, id est, mulierculæ venerint ad ostium: suscipient singulos in diuersis locis juxta ordinem Præpositi, & sexus sui; præcipuè fœminas majori honore & diligentia curabunt cum omni timore Dei; & locum separatum ab omni virorum vicinia eis tribuent, vt nulla sit occasio blasphemandi. Quòd si ad vesperas venerint, abjicere eas nefas est; sed accipient, vt diximus, separatum locum & clausum cum omni disciplina atque cautela, vt grex Fratrum liberè suo officio seruiat, & nulli detur offendiculum detrahendi.

30. SI quis ante ostium steterit Monasterij dicens se velle videre fratrem suum, vel propinquum: janitor nuntia-

bit Patri Monasterij, & ille accitum interrogabit Præpositum domus, si apud eum sit; & permittente eo, accipiet comitem egressionis suæ, cujus fides probata est, & sic mittetur ad fratrem videndum, vel ad proximum. Si fortè aliquid attulerit ciborum, quibus in Monasterio vesci licitum est, suscipere ipse non poterit, sed vocabit janitorem; & ille allata suscipiet; quæ si talia fuerint, quæ cum pane vescenda sint, nihil horum ij, quibus allata sunt, accipient, sed cuncta ad loca ægrotantium deferentur.

31. Si fuerit nuntiatum, quòd de propinquis quis ægrotet, janitor primus nuntiabit Patri Monasterij; & ille accitum interrogabit Præpositum domus. Videbunt virum cujus fides & disciplina probata sit, & mittent cum eo vt visitet ægrotantem; tantum accipiet viatici, quantum Præpositus ejus domus decreuerit.

32. Qvòd si necessitas impulerit, vt foris maneat & vescatur in paterna, aut propinquorum domo: hoc non faciet, sed manebit in Dominico*, vel in Monasterio ejusdem fidei. Quòd si ei affines vel cognati præparauerint cibos & apposuerint: nec accipient omnino, nec vescentur, nisi his quæ in Monasterio edere consueuerunt; non gustabunt liquamen, nec vinum bibent, nec aliud quidpiam quorum edendi non habent consuetudinem. Si à parentibus quidpiam acceperint, tantum comedent, quantum in via sufficit; cætera, quæ remanserint, dabunt Præposito domus suæ, & ille portabit in cellam languentium.

* j. Ecclesia, vel Ecclesiæ domo.

33. Si propinquus alicujus aut consanguineus mortuus fuerit, prosequendi funus non habebit potestatem nisi Pater Monasterij præceperit.

34 Nvllvs solus mittatur foras ad aliquod negotium nisi juncto ei altero. Quando autem reuersi fuerint in Monasterium, si viderint ante ostium quærentem aliquem suorum affinium de his qui in Monasterio commorantur, non audebunt ire ad eum, & nuntiare, vel vocare: & omnino quicquid foris gesserint aut audierint, in Monasterio narrare non poterunt.

35. Si signum datum fuerit, vt egrediantur ad opus: Præpositus antecedet eos; & nullus in Monasterio remanebit, nisi is, cui Pater præceperit: & hi qui vadunt, quo pergant

non interrogabunt.

¶ Cúmque vniuersæ domus in vnam fuerint congregatæ, prioris domus Præpositus antecedet; & pergent juxta ordinem domorum & hominum singulorum, nec loquentur mutuò: sed vnusquisque de scripturis aliquid meditabitur.

Si fortè eis aliquis occurrerit vel voluerit cum aliquo eorum loqui: Ianitor Monasterij, qui huic operi fuerit delegatus, occurret & respondebit ei, eoque vtentur nuntio. Si Ianitor coràm non fuerit, Præpositus domus, vel alius cui hoc injunctum fuerit, occurrentibus respondebit.

Operantes nihil loquantur seculare, sed aut meditentur quæ sancta sunt, aut certè silebunt.

Nemo palliolum tollat secum vadens ad operandum nisi concessione Majoris.

Operans non sedebit sine majoris imperio.

Omnia autem ferramenta post operationem ad domum reportabuntur.

¶ Quando reuertuntur in Monasterium, nemo ex ordine remanebit. Cùm ad domos suas peruenerint, ferramenta quibus opus fecerant, & gallicas tradent ei, qui secundus est post Præpositum domus: & ille inferet ea vespere in cellulam separatam, ibique concludet.

Omnia autem ferramenta hebdomade completa reportabuntur in vnam domum, vt rursum qui succedunt hebdomadæ, singulis domibus nouerint quid distribuant.

36. Absque Præpositi jussione nemo Fratrum, si necessarium habuerit, aliquem mittere poterit. Quòd si ipse qui Major est, cogitur necessitate ire ad aliquem locum, officium suum ei, qui post se est in ordine, delegabit.

37. Si quis lauare voluerit vestimentum, commonebit Præpositum suum, & ille mittet cum eo alium; & lota veste reuertentur domum, & siccatam reponit ille cui hoc injunctum est.

¶ Nullus in domo quicquam faciet, nisi quod Præpositus jusserit.

38. Nullus de horto tollat olera, nisi ab hortulano acceperit.

¶ Nemo juncos infusos aqua sibi tollet ad operandum, nisi minister hebdomadis ei dederit.

39. Palmarum folia, vnde texuntur sportæ, nemo

ſuo jure tollat abſque eo cui palmæ ſunt creditæ.

40. Nvllvs vuas, aut ſpicas adhuc immaturas comedere audeat præter ordinem diſciplinæ: & omnino de omnibus, quæ in agro ſunt vel in pomario, nemo comedat ſeparatim, antequàm cunctis Fratribus Pater exhibeat.

41. Qvi coquent, antequam Fratres comedant, non audebunt edere.

42. Qvi ſuper arbores pomarias, & ſuper vineas ſunt, non comedent de fructibus earum, niſi Fratres priùs comederint. Si juſſi fuerint pomorum vel vinearum fructus colligere: Præpoſitus colligentium dabit in eodem loco ſingulis ad veſcendum modica; & cùm ad Monaſterium venerint, inter cæteros Fratres partes ſuas accipient. Si autem inuenerint ſub arboribus poma cecidiſſe, comedere non audebunt; ſed inuenta in tranſitu juxta radices arborum collocabunt. Ipſe quoque qui cæteris colligentibus diſtribuit, guſtare non poterit; ſed portabit ad diſpenſatorem, qui cùm cæteris dederit, & ipſi tribuat partem ſuam.

43. Nvllvs in cella ſua reponat aliquid ad veſcendum, abſque his quæ à diſpenſatore acceperit.

44. Qvi nolunt in commune veſci cum cæteris, quaſi majori abſtinentiæ ſe dicantes; quando edere debuerint, quod eis vna die ſufficiat, panem & ſal accipiant tantùm. Præter Monaſterij autem coquinam nulli coquendi cibos habeant poteſtatem.

45. Nemo in domo & cella ſua habeat præter ea quæ in commune lege Monaſterij præcepta ſunt: non tunicam laneam, non pallium, non pellem intonſis arietum lanis molliorem, non paucos nummos, non puluillium quidem ad caput, aut aliud variæ ſuppellectilis: exceptis his, quæ à Patre Monaſterij per domorum Præpoſitos diuidentur, id eſt, armaturâ ſuâ, leuitonariis duobus, & vno adtrito ex vſu, ſabano longiori quo collum humerique circundantur, pelliculâ quæ pendet ex latere, gallicis & cucullis duobus, zonâ & bacillo. Præter hæc, quicquid inueneris, abſque contradictione auferes.

46. Si quis transfertur de domo in alteram domum, excepto ea quæ vſui quotidiano ad habitum neceſſaria ſunt, ſecum transferre nihil poterit.

47. Nvllvs neque exeundi in agrum, neque ambulandi in Monaſterio, neque extra murum Monaſterij procedendi habeat facultatem, niſi interrogauerit Præpoſitum domus, & ille conceſſerit.

48. Cavendvm eſt autem ne quis de domo in alteram domum verba transferat, nec de Monaſterio in Monaſterium, nec de Monaſterio in agrum, nec de agro in Monaſterium.

49. Si quis ambulauerit in via, vel nauigauerit, aut operatus fuerit foris, non loquatur in Monaſterio, quæ ibi geri viderit.

50. Non dormiat quis præter reclinam ſellulam. Cúmque ad dormiendum ſe collocauerit, alteri non loquatur; poſtquàm obdormierit, ſi poſt ſomnum nocte euigilauerit, oret.

51. Si jejunij inſtat dies, & ſitire cœperit; bibere non audebit.

52. Nemo lauare alterum poterit aut vngere, niſi ei fuerit imperatum.

53. Nemo in tenebris alteri loquetur. Nullus cum altero dormiat; manum alterius nemo teneat. Siue ambulauerit, ſiue ſederit, aut ſteterit: vno cubito diſtet ab altero.

54. Nvllvs attondeat caput abſque Majoris arbitrio.

55. Mvtare de his, quæ à Præpoſito acceperit, cum altero nemo audebit; nec accipiet melius, & dabit deterius; aut è contrario dans melius, deterius accipiet; & in veſtimento, & in habitu ſuo nihil noui, præter cæteros, causâ decoris inueniet.

56. Nemo vadens in congregationem ad veſcendum dimittat Codicem non ligatum. Codices poſt Nonam attendat, ad quem pertinet.

57. Si quis Fratrum læſus fuerit, aut percuſſus: tamen lectulo non decumbit, ſed ambulat inualidus, & aliqua re indigebit, veſtimento vel palliolo, & cæteris vtenſilibus; Præpoſitus accipiet & dabit. Cúmque ſanus fuerit, reportabit ſine mora vlla.

58. Nemo ab altero accipiet quidpiam, niſi Præpoſitus juſſerit.

59. In villam nullus vadat nisi missus. Super nudum dorsum asini duo pariter non sedebunt, nec super temonem plaustri.

60. Ad officinas diuersarum artium soli pergent Præpositi vt accipiant quod necessarium est.

¶ Galliculas, & si quid aliud jungendum est vel componendum, absque eo, cui hoc ministerium delegatur, & Præposito domus, facere nullus audebit.

¶ Cellulam alterius, nisi priùs ad ostium percusserit, intrare inlicitum est.

61. Ad alterius cellulam intrare nullus audebit.

j. depositum. 62. Commendatum * aliquid, etiam à germano fratre, nullus accipiat.

63. Nihil in cella sua absque Præpositi jussione quispiam condet, nec poma quidem.

64. Si Præpositus profectus fuerit; aut alter Præpositus, aut qui secundus est, curam proficiscentis exerceat; vel quem ipse Præpositus elegerit de Fratribus, & curam ei suam injunxerit.

65. Qvando farinam conspergunt aqua, & massam subigunt, nemo alteri loquatur. Et quando tabulis ad furnum deportant panes: simile silentium habebunt; tantùm de psalmis, aut de scripturis aliquid meditabuntur *, donec opus impleant. Si quid necessarium fuerit, non loquantur, sed dent signum his, qui possunt afferre quæ necessaria sunt. Quando ad miscendam farinam vocati fuerint; nullus resideat in loco panes coquentium, exceptis iis, qui coctioni sufficient, & quibus jussum fuerit.

al. decantabũt. quod idem est.

66. In nauibus similis disciplina est. Nemo à terra soluit nauigij funiculum, nec mouet nauigium absque jussione Patris. In interiore parte nauis cæteris Fratribus super transtra & tabulata quiescentibus, nullus dormiat; & seculares homines dormire secum nullus patiatur. Vasa infirmiora * cum eis non nauigabunt, nisi fortè Pater Monasterij præceperit.

j. Mulierculæ, vt sup. num. 19.

67. Nvllvs in domo sua audebit focum facere nisi in commune omnibus succendatur.

j. prima. 68. Qvi vna * oratione de sex orationibus vespertinis tardiùs venerit, vel qui mussitauerit, aut qui locutus fuerit ad alterum, vel qui riserit in reliquis orationibus, constituto ordine aget pœnitentiam.

69. QVANDO domi resident *, non eis liceat loqui aliquid seculare; sed si quis Præpositus de scripturis docuerit, vicissim inter se ruminent & referent quæ audierint, vel quæ memoriter teneant. * al. sedebunt.

70. QVI vas fictile fregerit, vel aliquam vtilem rem ad vsus Monasterij, aget pœnitentiam.

71. SI Frater dormierit * omnis eum † fraternitas prosequatur. * j. obierit. † j. funus ejus.

72. NEMO exeat foras, nemo loquatur, nemo remaneat excepto Majoris imperio.

¶ Et si in naui fuerit, & in Monasterio, & in agro, & in itinere, & in quolibet ministerio: orandi & psallendi tempora non prætermittet.

73. AVDITO signo excitantis, aut voce psallentis omnes surgant, currentes ad orationes. Nullus antè psallat nisi ei jussum fuerit; nec completo psalmo alterum sine Præpositi jussione audeat jungere.

74. NEMO ante Præpositum suum & ducem suum ambulet. Nullus remaneat de ordine suo.

75. SI quis aliquid perdiderit, ante altare publicè corripietur. Si verò de propriis vesticulis fuerit quod perditum est, tribus hebdomadibus non accipiet, & in quarta, actâ pœnitentiâ, dabitur ei quod amisit.

76. QVI inuenerit aliquid, per tres dies ante Collectam Fratrum, suspendat, vt tollat qui cognouerit.

77. LOTVM in domo nemo faciat, absque Præposito; & omne quod nouum est, illius sententiâ disponetur.

¶ Leuitonarium, & quicquid in veste est, nemo lauet die Dominica præter nautas & pistrinarios.

Non vadant ad lauandum, nisi omnibus signum vnum insonuerit: sequentúrque Præpositum suum, & lauabunt taciti cum disciplina.

Nemo lauet retractis in altum plusquàm statutum est, vestibus: cúmque lauerint, omnes pariter reuertentur.

Si quis remanserit eo tempore, quo ibunt ad lauandum, vel in præsenti non fuerit, commonebit Præpositum suum, & ille mittet cum eo alterum: & sic loto vestimento reuertentur domum.

78. OMNIS correptio ita fiet, vt discincti sint qui cor-

ripiuntur; & demissis manibus & humiliato capite, emendaturos se promittentes vitia, in quibus arguuntur, veniam deprecentur.

*al. commonitione.

79. QVI absque ordine * Fratrum recesserit, & postea actâ pœnitentiâ redierit, non erit in ordine suo absque Maioris imperio.

80. QVI rudis in Monasterio fuerit ingressus, docebitur priùs quæ debeat obseruare; & cùm doctus ad vniuersa consenserit, dabunt ei viginti psalmos, aut duas Epistolas Apostoli, aut alterius scripturæ partem. Et si literas ignorauerit: horâ Primâ, Tertiâ, & Sextâ vadat ad eum, qui docere potest, & qui ei fuerit delegatus: & stabit ante eum, & discet studiosissimè cum omni gratiarum actione. Postea scribentur ei elementa, syllabæ, verba, ac nomina, & etiam nolens, legere compellatur: & omnino nullus erit in Monasterio qui non discat literas, & de scripturis aliquid teneat, quod minimum est, vsque ad nouum Testamentum, & psalterium. Omne, quod in Conuentu Fratrum audierint disputatum, cogentur inter se vt recolant.

81. AD psallendum & orandum nullus sibi occasiones inueniat, quibus se dicat occupatum, quasi ire non possit: & si in naui fuerit, & in agro & in itinere, vel in Monasterio, quolibet ministerio detentus, orandi & psallendi tempora non prætermittat.

82. DE puellarum disciplina. Nemo ad eas vadat visitandas, nisi qui habet ibi matrem, vel sororem, aut propinquas, & consobrinas seu matrem filiorum suorum Si autem & ante conuersionem paterna eis debetur hereditas, aut aliqua causa manifesta est; mittent cum his probatæ ætatis virum ac vitæ, & videbunt eas, & pariter reuertentur. Nemo vadat ad illas nisi quos suprà diximus: ita vt primùm faciant renuntiari Patri Monasterij; & ille mittet ad Seniores qui Monasterio virginum delegati sunt; qui occurrent eis, & cum ipsis videbunt eas, quas necesse habebunt, cum omni disciplina, & timore Dei. Non eis loquentur de rebus secularibus.

83. QVICVNQVE de his mandatis aliquid præterierit; absque vlla dubitatione, negligentiæ atque contemptus aget pœnitentiam, vt possidere valeamus Regna cælorum.

Præcepta & instituta Patris nostri Pachomij hominis Dei, qui fundauit ab exordio sanctæ vitæ communionem juxta imperium Dei. Plenitudo legis charitas, scientes tempus quòd instet hora vt de somno consurgamus, quòd vicinior sit salus nostra, quàm eo tempore cùm credidimus. Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Deponamus opera tenebrarum, quæ sunt contentiones, detractiones, odia & tumentis animi superbia. Rom. 13. 10.

84. QVI facilis est ad detrahendum & dicit quod non est; si in hoc peccato fuerit deprehensus: monebunt eum secundò; & si audire contempserit, separabunt eum extra Conuentum Fratrum septem diebus, & panem tantùm cum aqua accipiet, donec polliceatur atque confirmet se ab hoc vitio recessurum, & sic dimittetur ei.

85. SI quis iracundus, & furiosus frequenter irascitur sine causa & propter rem inanem & vacuam; per sex vices commonebitur, & septimâ facient eum surgere de ordine sessionis suæ & inter vltimos collocabitur, docebúntque eum, vt ab hac mentis perturbatione mundetur. Cúmque tres testes dignos testimonio adduxerit, qui pro eo polliceantur nequaquam simile quid esse facturum; recipiet sessionem suam; alioqui si permanserit in vitio, moretur inter vltimos, perdito priore loco.

86. QVI falsum cupit probare contra alterum vt opprimat innocentem, tertiò commonebitur: & postea reus erit iniquitatis, siue de prioribus * fuerit, siue de inferioribus.

* al. priori loco.

87. QVI habet pessimam consuetudinem vt fratres suo sermone solicitet, & peruertat animos simpliciorum, tertiò commonebitur; si contempserit, & obstinato animo in duritia perseuerauerit, separabunt eum extra Monasterium, & verberabunt eum ante fores triginta nouem * dabúntque ei ad vescendum foris panem solum & aquam donec mundetur à sordibus.

* supp. plagis.

88. QVI habet pessimam consuetudinem murmurandi, & quasi graui opere se opprimi queritur; docebunt eum quinquies quòd sine causa murmuret, & ostendent perspicuè veritatem. Si post hæc inobediens fuerit, & est perfectæ ætatis; ita eum habebunt, vt vnum de ægrotantibus,

& ponetur in loco infirmorum, ibique aletur otiosus, donec redeat ad veritatem. Sin autem justa est illius querela, & à Majore iniquè opprimitur; qui eum scandalisauit, eidem sententiæ subjacebit.

89. Si inobediens quis fuerit, aut contentiosus, aut contradictor, aut mendax, & est perfectæ ætatis: decies commonebitur vt desistat à vitiis. Si autem audire noluerit, Monasterij legibus increpabitur. Quòd si alterius culpâ ad hæc vitia deuoluitur, & hoc fuerit comprobatum; ille, qui causa extitit, reus erit vltionis.

90. Si deprehensus fuerit aliquis de Fratribus libenter cum pueris ridere & ludere, & habere amicitias ætatis infirmæ: tertiò commonebitur vt recedat ab eorum necessitudine, & memor sit honestatis ac timoris Dei. Si non cessauerit: corripietur, vt dignus est, correptione seuerissima.

91. Qui contemnunt præcepta Majorum, & Regulas Monasterij, quæ Dei præcepto constitutæ sunt; & paruipendunt seniorum consilia; corripientur juxta ordinem constitutum, donec corrigantur.

92. Qui judex est omnium peccatorum, & peruersitate mentis ac negligentiâ reliquerit veritatem: viginti viri sancti, & timentes Deum, siue decem, & vsque ad quinque, de quibus omnes dent testimonium, sedebunt & judicabunt eum, & regradabunt * in vltimum donec corrigatur.

* f. degradebunt.

93. Qui conturbat Fratrum animos, & facilis est ad detrahendum*, lites serens & jurgia, decies commonebitur; &, si non fuerit emendatus, corripietur ordine Monasterij, donec corrigatur.

*al. loquendum.

94. Qui de Majoribus & Præpositis viderit Fratrem suum in tribulatione, & noluerit causam tribulationis inquirere, eumque contempserit: quæretur causa à supradictis Iudicibus inter Fratrem, atque Præpositum; & si deprehenderint negligentiâ Præpositi, vel superbiâ coangustatum Fratrem, & judicasse eum non secundùm veritatem, sed secundùm personam; regradabitur de solio suo, donec corrigatur, & ab injustitiæ sordibus emendetur; quia non considerauit veritatem, sed personas; & seruiuit prauitati animæ suæ, & non Dei judicio.

95. Si quis promiserit obseruare Regulas Monasterij & facere

facere cœperit, easque dimiserit; postea autem reuersus egerit pœnitentiam, obtendens infirmitatem corpusculi, per quam non possit implere quod dixerat; faciant eum inter languentes commorari, & pascetur inter otiosos, donec actâ pœnitentiâ impleat quod promisit.

96. PVERI, si in domo fuerint dediti lusibus & otio, & correpti non potuerint emendari; debet Præpositus vsque ad dies triginta ipsos monere & corripere. Si viderit in prauitate persistere, & non nuntiauerit Patri Monasterij, & aliquòd peccatum in eis fuerit deprehensum; ipse pro eis culpæ subjacebit iuxta quod peccatum fuerit inuentum.

97. OMNES autem pueri qui non timent confundi pro peccato, & per impudentiam judicium Dei non cogitant, & correpti verbo non emendauerint: verberentur quandiu disciplinam accipiant & timorem.

98. QVI injustè judicauerit, justè ab aliis condemnabitur.

¶ Si vnus è Fratribus, aut duo, vel tres scandalisati ab aliquo, recesserint de domo, & postea venerint: ventilabitur inter eos & scandalisantem, judicium; etsi reus inuentus fuerit, Monasterij regulis increpabitur.

99. QVI consentit peccantibus, & defendit alium delinquentem; maledictus erit apud Deum & homines, & corripietur increpatione seuerissima. Quòd si per ignorantiam deceptus est, & non ita putauit vt verum est, ignoscetur ei, & omnis qui per ignorantiam peccat, facilè accipiet veniam. Qui autem sciens peccauerit, sustinebit increpationem juxta mensuram operis sui.

100. PRÆCEPTA & leges Pachomij. Ne plus operis Fratres facere compellantur, sed moderatus labor omnes ad laborandum prouocet. Sit inter eos pax & concordia; & libenter Majoribus subjiciantur; sedentes & ambulantes ac stantes * inuicem de humilitate decertent*.

101. SI quis peccatum * fecerit, Patres Monasteriorum emendare poterunt, & constituere quid sequi debeat.

102. PRÆPOSITVS autem domus, & qui secundus ab eo est, hoc tantùm juris habebunt, vt compellantur Fratres in peccatis singulis, vel in Collecta domus, siue in Collecta majore, hoc est, omnium Fratrum, subjacere pœnitentiæ.

* al. in ordine suo, & inuic.

* al. decertantes

* al. si quid peccatum fuerit.

103. QVOD si Præpositus peregrè fuerit; qui secundus est locum ejus implebit tam in pœnitentia Fratrum recipienda, quàm in quocunque alio eorum, quæ in domo necessaria sunt.

104. SI quis absque conscientia duorum ierit ad alteram domum, vel alterius domus Fratrem codicem ad legendum mutuum postulauerit, vel quodlibet aliud, Monasterij ordine increpabitur.

105. QVI vult sine macula, & contemptu in domo cui deputatus est, viuere; omnia quæ præcepta sunt, coram Deo obseruare debebit.

106. QVIDQVID necessarium est siue in agro, siue in Monasterio, Præpositus etiam non postulatus impleat.

107. SEX orationes facient vespertinas, juxta exemplum majoris Collectæ, in qua omnes Fratres pariter congregantur.

108. SVMMÆ dilectionis est, etiam si facile fuerit, vt nullum onus habeant, ne ex onere nascatur tædium.

109. SI quis deforis venerit, & æstu laborauerit, aliique Fratres orationem celebrauerint: si ire non potest, non cogatur.

110. QVANDO Præpositi domorum fratres de conuersatione sanctæ vitæ docebunt, absque grauissima ægritudine nullus aberit.

111. MAIORES quicunque è Fratribus mittuntur foras, quandiu ibi fuerint, habebunt jus præpositorum, cuncta gerentur arbitrio eorum, docebunt Fratres per constitutos dies: & si fortè aliquid inter eos ortum fuerit simultatis, audient ipsi Majores, & judicabunt causam, & dignum culpâ increpabunt, & ad imperium eorum statim ad pacem pleno corde consentient.

112. SI quis de Fratribus contra Præpositum domus suæ tristitiam habuerit, aut ipse Præpositus contra Fratrem aliquam querimoniam: Fratres probatæ conuersationis & fidei audire eos debebunt & judicabunt inter eos. Si tamen absens est Pater Monasterij, vel aliquò profectus: primùm quidem expectabunt eum; si autem diutiùs commorari viderint, tunc audient inter Præpositum & Fratrem ne de suspenso judicio major tristitia oriatur: & ille qui præpositus

eſt, & ille qui ſubjectus eſt, & hi qui audiunt, juxta timorem Dei cuncta faciant, & in nullo dent occaſionem.

¶ Igitur qui animo vno eſſe concupiſcunt, & viuere mente communi diſpoſuerunt, conſiliis Majorum inſeruiant, quid ex conſiliis proceſſerit Patrum, id faciant.

113. De veſticulis. Si quis de his, quæ præcepta ſunt, ampliùs habuerit abſque conceſſione Majoris, deferentur ad cuſtodem veſtium: & introeundi illuc vel poſtulandi non habebit poteſtatem; ſed erunt ſub Præpoſiti arbitrio, aut qui ſecundus eſt ab eo.

Præcepta Pachomij de Collecta Fratrum, quomodo Collecta fieri debeat, & Fratres ſint congregandi ad audiendum verbum Dei, juxta præcepta Majorum, & doctrinam ſanctarum ſcripturarum, vt liberentur de errore animæ conuerſorum & glorificent Deum in luce viuentium, vt ſciant quomodo oporteat in domo Dei conuerſari ſine ruina, & ſcandalo, & non ebrientur aliqua paſſione, ſed ſtent in menſura veritatis & traditionibus Apoſtolorum & Prophetarum, & ſolemnitatum ordinem teneant, imitantes conuerſationem eorum in domo Dei, & jejunia atque orationes ex more complentes. Qui enim bene miniſtrant, ſequuntur regulam ſcripturarum.

114. Hoc eſt ergo miniſterium, quod miniſtri Eccleſiæ implere debebunt. Congregent Fratres orationis tempore, & omnia faciant quæ ritè complenda ſunt, vt nullam occaſionem detractioni tribuant, nec ſinant quempiam ambulare contra ritum diſciplinæ. Si codicem poſtulauerint, deferant eis.

115. Si quis deforis venerit veſperi, & non occurrerit accipere opus, quod poſtera die facturus eſt, manè tribuant; ſi defecerit opus quod habebat in manibus, referat ad Majoris ſententiam; & quod ille præceperit faciat.

116. Qui miniſter eſt habeat ſtudium, ne quid operis pereat in Monaſterio, in nulla omnino arte, quæ exercetur à Fratribus. Quòd ſi quid perierit, & negligentiâ fuerit diſſipatum, increpabitur à Patre miniſter operum ſingulorum, & ipſe increpabit alterum, qui opus perdiderit, duntaxat juxta voluntatem & ſententiam Principis, abſque qua nullus increpandi Fratrem habebit poteſtatem.

117. Si vestimentum ad solem expansum tertius inuenerit dies; dominus vestimenti pro eo increpabitur, & aget pœnitentiam publicè in Collecta, stabítque in vescendi loco.

118. Si inuentus fuerit vnus è Fratribus aliquid per contentionem agens, vel contradicens Majoris imperio, increpabitur juxta mensuram peccati sui.

119. Qvi mentitur, aut odio quemquam habere fuerit deprehensus, aut inobediens, aut plus joco quàm honestum est deditus, aut otiosus, aut durè respondens, aut consuetudinem habens Fratribus detrahendi vel his qui foris sunt, & omnino quidquid contra regulam scripturarum est & Monasterij disciplinam: audiet Pater Monasterij & vindicabit juxta mensuram opusque peccati.

120. Pellicvla, & caligæ, & cingulum, & si quid aliud perierit: qui perdiderit, increpabitur.

121. Si quis tulerit rem non suam, ponetur super humeros ejus, & aget pœnitentiam publicè in Collecta, stabítque in vescendi loco. Si autem in furto fuerit deprehensus, triginta nouem verberabunt eum, & foris dabunt ei edere panem & aquam tantùm, & opertum cilicio & cinere per singula orationum tempora cogent eum agere pœnitentiam. Eademque lex in fugitiuis obseruabitur.

122. Præpositvs domus increpationi subjacebit si ante tres dies non nuntiauerit Patri, siue in via, siue in agro, siue in Monasterio quid perierit, & aget pœnitentiam juxta ordinem constitutum.

123. Qvòd si homo fugerit, & ante tres horas non nuntiauerit Patri, reus erit perditionis ejus, nisi eum iterum inuenerit.

124. Hæc est vltio in eum qui Fratrem de domo perdiderit: tribus diebus aget publicam pœnitentiam. Quòd si eâdem horâ, qua fugerit, non nuntiauerit Patri; reus erit peccati.

125. Si in domo sua Præpositus viderit delinquentem & non nuntiauerit Patri Monasterij, ipse increpationis ordini subjacebit.

126. Per domos singulas vesperi sex orationes psalmosque complebunt, juxta ordinem Majoris Collectæ, quæ à cunctis Fratribus in commune celebratur. Per singulas heb-

madas diſpoſitiones à Præpoſitis complebuntur. Nullus in domo quidpiam faciet, niſi quod Præpoſitus juſſerit.

127. Si omnes Fratres, qui in domo ſunt, viderint Præpoſitum nimiùm negligentem, & menſuram Monaſterij excedentem, referent ad Patrem & ab eo increpabitur. Ipſe autem Præpoſitus nihil faciat præter id quod Pater juſſerit, maximè in re noua; nam quæ ex more deſcendit, obſeruabit regulas Monaſterij.

128. PRÆPOSITVS non inebrietur, nec ſedeat in humilioribus locis juxta vaſa Monaſterij ne rumpat vincula, quæ Deus in cælo condidit vt obſeruentur in terris. Ne lugeat in feſto die Domini Saluatoris *. Dominetur carni juxta menſuram Sanctorum. Non inueniatur in excelſis cubilibus imitatus morem Gentilium. Non ſit duplicis fidei. Non ſequatur cogitationes cordis ſui, & ſublimioribus non reſiſtat tumenti animo poteſtatibus; non fremat, nec irruat ſuper humiliores; non transferat terminos; non ſit turbulentus, nec in cogitationibus verſet dolos; non negligat peccatum animæ ſuæ extirpare; ne vincatur carnis luxuriâ; non ambulet negligenter; non citò loquatur verbum otioſum; non ponat ſcandalum ante pedes cæci; non doceat voluptates animam ſuam; non ſoluatur ſtultorum riſu ac joco; non capiatur cor ejus ab his, qui inepta loquuntur, aut dulcia; non vincatur muneribus; non paruulorum ſermone ducatur; non affligatur in tribulatione; non timeat mortem, ſed Deum, ne præuaricator ſit propter eminentem timorem; ne relinquat verum lumen propter modicos cibos; non vacillet nec fluctuet in operibus ſuis; non mutet ſententiam veram, ſed firmus ſit ſolidíque decreti, juſta * cuncta conſiderans, judicans in veritate abſque appetitu gloriæ, manifeſtus Deo & hominibus, & * elongans ſe à fraude; non ignoret conuerſationem Sanctorum, nec ad eorum ſcientiam cæcus exiſtat. Nulli noceat per ſuperbiam; nec ſequatur concupiſcentias oculorum ſuorum; non eum ſuperent incentiua vitiorum; veritatem nunquam prætereat; oderit injuſtitiam. Secundùm perſonam nunquam judicet pro muneribus, nec condemnet animam innocentem per ſuperbiam; non rideat inter pueros; non deſerat veritatem timore ſuperatus; non comedat panem de fraudulentia; non deſide-

* j. ne jejunet.

* al. juſtus, conſiderans cuncta,

* al. à fraude procul.

ret alienam *terram; non opprimat animam propter aliorum ſpolia; non deſpiciat eos, qui indigent miſericordia; nec falſum teſtimonium dicat ſeductus lucro; nec mentiatur propter ſuperbiam; nec contendat contra veritatem ob tumorem* animi; nec deſerat juſtitiam propter laſſitudinem; nec perdat animam ſuam propter verecundiam; nec reſpiciat dapes lautioris menſæ; nec pulchra veſtimenta deſideret; nec ſenes* negligat; vt ſemper dijudicet cogitationes ſuas; ne inebrietur vino; ſed humilitatem junctam habeat veritati, quando judicat. Sequatur præcepta Majorum & legem Dei, quæ in toto orbe prædicata eſt. Si quidquam de his præterierit, reddetur ei menſura, juxta quam menſus eſt, & recipiet ſecundùm opera ſua, quia [a] mæchatus eſt in ligno * & lapide, & propter fulgorem auri & ſplendorem argenti dimiſit judicium, & deſideriis temporalis lucri laqueis ſe induit iniquorum *. Et eueniat ei contritio [b] Heli, & filiorum * ejus; maledictio [c] Dauid, quam imprecatus eſt [d] Dohæc; ſignum, quo denotatus eſt [e] Caïn; ſepultura aſini, [f] de qua loquitur Hieremias; perditio, qua peccatores terræ hiatus [g] abſorbuit, & interitus [h] Chananæorum, & contritio [i] hydriæ ad fontem, & arenarum comminutio in littoribus, quæ ſalſis fluctibus verberantur, & confractio [l] virgæ glorioſæ; vt ſit quaſi cæcus [m] palpans manu parietem. Hæc omnia euenient ei, quia non ſeruauit veritatem in judicio, & iniquè egit in omnibus, quæ ei credita ſunt.

* *al.* timorem.
* *al.* neſc.
[a] *Ierem.* 3 9.
* *al.* in lingua ſua & propter lapides
* *al.* Ethnicorum.
[b] 1. *Reg.* 4. 11
* *al.* ſamorum.
[c] *Pſ.* 51.
[d] 1. *Reg.* 21. 9. & 22.
[e] *Gen.* 4. 11.
[f] *Ier.* 22. 19.
[g] *Num.* 16. 31.
[h] *Ioſ.* 6. &c.
[i] *Eccl.* 12. 6.
[l] *Ier.* 48. 17.
[m] *Iſa* 59. 10

† IHS

INCIPIVNT MONITA
S. PACHOMII.

HONORA Deum & valebis. Memor esto gemituum quos perpessi sunt Sancti. Efficiamur vnanimes, permanentes, in quo vocati sumus: præ omnibus curam gerentes, vt in hac quam arripuimus vita proficere valeamus, & cursum institutionis nostræ Deo placitum perficere mereamur: vt ne similes inueniamur qui in vanis & caducis rebus lætantur. Ne quando mens nostra recti itineris lineam derelinquens in peccatum corruat, & spe æterna fraudetur. Intellectum nanque est optimum cognoscere voluntatem Dei. Omnium enim superior efficitur homo, qui obedierit veritati. Omnium enim malorum pejus est, legi Dei velle insistere, & acquiescere propriæ voluntati. Qui enim suam perficit voluntatem, à diuina cognitione fraudabitur, nec poterit perficiendo propriam voluntatem per viam Sanctorum incedere, & in nouissimo interitum & planctum inueniet. Nunc igitur tempus placendi Domino, quia salus in tempore tribulationis acquiritur. Ne ergo tantummodò credulitatem fidei in tempore lætitiæ teneamus, & in tempore tribulationis ab eadem recedamus. Scriptum est enim: *Si voueris votum Domino, moram ne feceris reddere illud, & in tribulatione ne deficias, sed patiens esto, & obsecra Dominum.* Deut. 23.21. Immobilis enim fidei plenitudo tribuetur à Deo, quam per Spiritum sanctum acquisiuerunt Prophetæ; in qua & Apostoli confirmati sunt, qui propter fidem diuersas tribulationum persecutiones excipientes, ad promissa præmia peruenerunt. Hæc ergo scientes, ne circumferamur errorum

ſeductione decepti, ſed potiùs firmi & immobiles permaneamus; vt cogitationum peruagationes, quæ velut aquæ efferueſcunt, diuinæ legis aſſiduâ memoriâ refrænemus, per quam carnalis concupiſcentiæ legem deſtruentes, omne quod Deo placitum eſt, exquirere valeamus, & cuſtodiamur illæſi à curis ſecularibus, omníque elatione, quæ eſt inſania peſſima, pejor omnium malorum. Dominum ſemper præ oculis habentes reminiſcamur paſſionis & crucis ipſius ac mortis, per quem redempti ac viuificati ſumus. Odio ergo habeamus mundum, & omnia quæ in eo ſunt, oderimus quoque omnem requiem corporalem. Abrenuntiemus huic vitæ, vt Deo viuere valeamus. Memores ergo ſimus, cariſſimi, profeſſionis noſtræ, quemadmodum Deo ſumus polliciti deſeruire. Hoc ipſum enim exquiretur à nobis in die judicij: eſuriamus, ſitiamus, nuditatem perferamus, vigilemus, & in pſalmis atque orationibus poſiti ex intimo corde ingemiſcentes, lacrymas effundamus; noſmetipſos cauta diſcuſſione probantes, ſi vel in aliquo digni Deo pro ejus immenſa clementia inueniri mereamur. Tribulationis anguſtiam non refugiamus, vt conſolationis Dominicæ requiem conſequamur, & immortalis vitæ ac ſempiternæ requiem percipere promereamur. Amen.

DOCTRINA

DOCTRINA
S. ORSIESII
AD MONACHOS.

I. *AVDI Israël mandata vitæ, auribus percipe & intellige prudentiam. Quid est Israël, quoniam in terra inimicorum es? Inueterasti in terra aliena, commaculatus es cum mortuis, comparatus es cum his, qui in inferno sunt, & dereliquisti fontem sapientiæ. Per viam Dei si ambulasses, forsan habitasses in pace. Disce ergo, ait, vbi est prudentia tua, vbi est fortitudo gloriæ atque virtutis, vbi est intelligentia, vbi est lux oculorum & pax. Quis inuenit locum ejus? & quis ingressus est ad thesauros illius?* Hæc loquebatur Baruch propter eos qui in terram Babylonis & inimicorum suorum ducti sunt in captiuitatem, quia noluerunt Prophetarum suscipere mandata, & obliti sunt legis Dei, quæ data est per Moysen. Idcircò induxit Deus super eos pœnas, atque supplicia, & captiuitatis subdidit jugo, erudiens ita eos vt suos, & quasi pater filios emendans, nolénsque perire correctos, sed saluare cupiens per pœnitentiam. Vnde & nos Apostolicorum debemus meminisse verborum, qui ait: *Si naturalibus ramis non pepercit, nec nobis parcet*; & Dei præcepta complere negligimus? *Hæc omnia in figuris contingebant illis. Scripta sunt autem ad correptionem nostram in quos fines seculorum deuenerunt.* Et illi quidem de vrbe Iudæ translati sunt ad vrbem Chaldæorum, in terris mutantes loca. Nos autem si Deus viderit negligentes, in futuro seculo amittemus ciuitatem nostram,

Baruch. 3. 9

Rom. 11. 21.

1. Cor. 10. 11.

mysterium, de quo dicitur: *Spiritus vultus nostri Christus Dominus.* Et alibi: [a] *Lucerna pedibus meis lex tua, & lumen semitis meis.* Et iterum: [b] *Eloquium Domini viuificauit me.* Et, [c] *Lex Domini immaculata conuertens animas. mandatum Domini lucidum illuminans oculos.* Et Apostolus: [d] *Lex*, inquit, *sancta & mandatum sanctum, & justum, & bonum.* Quæ omnia intelligentes digni erimus audire: *Cùm ceciderit justus non allidetur, quia Dominus sustentat manum illius.* Et iterum: *Septies cadet justus & resurget.*

[a] Psal. 118.
115.
[b] Ibid. 50.
[c] Ps. 18. 8.
[d] Rom. 7. 18.
Psal. 36. 24
Prou. 24 16

VI. Nunc ergo, Fratres, Deo agente patienter, & nos ad pœnitentiam prouocante de graui somno euigilemus, quia *aduersarius noster diabolus quasi leo rugiens quærit, quem deuoret*, cui acriter resistendum est: & sciendum ea certamina nostris euenisse Majoribus. Non deficiamus laborantes, jacientésque virtutum semina, vt in futuro gaudia metere possimus, audiamúsque Paulum docentem: *Tu autem seruasti meam doctrinam, eruditionem, studium, patientiam, persecutiones;* Et Sanctorum exempla sectantes permaneamus in eo quod cœpimus, habentes principem & perfectorem IESVM. Intelligamus comam capitis nostri in via, vt sit vnguentum in barba nostra, vt ad oram perueniat vestimenti, vt possimus implere vniuersa quæ scripta sunt.

1. Petr. 5. 8.
2. Tim 3. 10
Psal. 132. 2.

VII. Quapropter ô Duces & Præpositi Monasteriorum ac domorum, quibus crediti sunt homines, & apud quos inueniuntur K, siue I, siue E, siue A, (vt in commune dicam) quibus crediti sunt homines; singuli cum turmis suis expectantes Saluatoris aduentum, vt in conspectu illius ornatum armis exercitum præparetis, ne refrigeretis eos in carnalibus, & spiritalia non tribuatis alimenta; aut rursum doceatis spiritalia & in carnalibus affligatis, in escis videlicet atque vestitu; sed & spiritales & carnales cibos pariter tribuite; & nullam detis eis occasionem negligentiæ. Aut quæ est ista justitia, vt Fratres labore affligamus, & ipsi otio vacemus? aut imponamus eis jugum quod ipsi ferre non possumus? Legimus enim in Euangelio: *In qua mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis.* Vnde & laborem & refrigeria cum ipsis habeamus communia; nec discipulos seruos putemus, & illorum tribulatio sit nostra lætitia, ne Euangelicus nos cum Pharisæis sermo corripiat: *Væ vobis Legis-peritis, qui li-*

Mat. 7. 2.
Marc. 4.
Luc. 11. 46.

gatis onera inportabilia , & imponitis ea super humeros hominum; & ipsi ne digito quidem audetis attingere : Sicut aliqui attendentes semetipsos, vt viuentes juxta mandatum Dei, sibi loquantur & dicant : Quid mihi est cum aliis? Ego verò vt seruiam Deo, & mandata ejus implere possim, non ad
Ezech. 34. 2. me pertinet quid alij faciant? Hos Ezechiel corripit dicens: *O Pastores Israël nunquid semetipsos pascunt pastores? nonne oues pascunt? Ecce lac comedebatis, & lanis operiebamini; quod pingue est immolastis, & quod infirmum non confortastis: & quod confractum est, non ligastis; quod errabat, non reduxistis; quod perierat, non requisistis; quod forte erat fecistis labore deficere: & dis-*
Isa. 3. 14. *persistis oues meas. Propterea ipse Dominus veniet cum senioribus*
Isa. 3. 12. *& principibus suis*, & complebitur illud in nobis; *Exactores vestri deprædantur vos; & qui repetunt, errare vos faciunt.* Qui
Eccl. 10 17. magis audire debemus: *Beata terra, cujus Rex filius ingenui; & Principes tui in tempore comedunt in fortitudine, & non confundentur.* Ideò, ô homo, vsque ad vnam animam, quæ tibi credita est, monere non cesses & docere quæ sancta sunt, & teipsum bonorum operum præbere exemplum; & cauere quammaximè ne alterum ames, & alterum oderis; sed cunctis exhibeas æqualitatem; ne fortè quem tu diligis, Deus oderit; & quem tu odisti, Deus diligat. Nulli erranti pro amicitia consentias, & alterum premas, & alterum subleues, & pereat labor tuus. Non sedeas in locis humilioribus, in quibus Pater noster præcepit penitus non sedendum.

VIII Caueant Præpositi domorum ne forsitan quilibet vnus è Fratribus injuriam Præposito fecerit; & iratus ille discernat ac dicat: quid causæ habeo ad hominem contemptorem? faciat quod vult, nec cum moneo, nec errantem corrigo; siue saluetur, siue pereat, ad me non pertinet. O homo, quid hæc loqueris? Intellige quó furore supereris, & quod odium occupauerit cor tuum, vt magis tuo vitio quàm suo peccato Frater pereat; qui debes ignoscere & cum sus-
Mat. 6. 12. cipere pœnitentem; vt possis illud euangelicum dicere: *Di-*
Luc. 11. *mitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Si ergo vis vt tibi Deus peccata tua dimittat, & tu dimitte fratri tuo quicquid illud est quod in te peccauit, memor
Leu. 19. 17. illius præcepti; *Ne oderis fratrem tuum in corde tuo*; Et Salo-
Prou. 6. 1. monis monentis : *Suscita ciuem tuum pro quo spopondisti.* Et

iterum. *Ne cesses erudire paruulum; si enim virga percusseris eum, non morietur.* Prou. 23. 13. Moysen quoque ausculta dicentem : *Correptione corripies proximum tuum, ne habeas peccatum pro eo.* Leu. 19. 17. Ne veniat rursum illud Salomonis; *Qui non prædicit filio vt se custodiat à perditione, velociter dissoluetur.*

IX. Omnes quibus Fratrum cura commissa est, parent se aduentui Saluatoris, & formidoloso tribunali ejus. Si enim pro seipso reddere rationem plenum est discriminis ac timoris; & quantò magis pro alterius culpa subire cruciatum, & incidere in manus Dei viuentis? Nec possumus obtendere ignorantiam, quum scriptum sit: Omne factum Deus adducet in judicio in omnibus quæ neglecta sunt, siue bonum, siue malum. Et in Apostolo legimus: *Omnes nos oportet manifestari ante tribunal Christi, vt quisque recipiat pro eo quod operatus est, siue bonum, siue malum.* 2. Cor. 5. 10. Esaïas quoque diem constitutam significat, in qua judicaturus sit Deus orbem terræ in justitia, dicens: *Ecce dies Domini insanabilis venit furoris & iræ vt ponat orbem terræ in deserto & perdat peccatores de eo.* Esai. 13. 9.

X. Scimus quia omnia, quæ in Lege scripta sunt & Prophetarum vaticinia prædixerunt, Sanctus quoque Pater noster erudiuit nos esse retinenda, & reddituros rationem de singulis, quare non fecerimus ea, aut negligentiùs fecerimus. Loquitur enim cui traditum est à Patre omne judicium, & veritas erudit veritatem: *Ne putetis quia ego accuso vos ad Patrem. Est qui vos accuset Moyses in quo vos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis & mihi: de me enim ille scripsit.* Ioan. 5. 45 Ex quibus omnibus discimus, & quòd oporteat nos stare ante tribunal Christi, & de singulis non solùm operibus sed & cogitationibus judicari; & post rationem vitæ nostræ, etiam pro aliis, qui nobis crediti sint, reddituros esse similiter rationem.

XI. Et hoc non solùm de Præpositis domorum est audiendum, sed & de Monasteriorum Principibus, & de singulis Fratribus qui reputantur in plebem; quòd omnes inuicem debent sua onera portare, vt adimpleant legem Christi, & audiant Apostolum scribentem ad Timotheum : *O Timothee depositum custodi, deuitans profanas vocum nouitates, & professionem falsi nominis scientiæ.* 1. Tim. 6. 20 Et nos habemus depositum à Deo traditum, conuersationem Fratrum, pro quibus laborantes expectamus futura præmia, ne forsitan dicatur & no-

bis: *Dimitte populum iſtum vt abeat*; Et traditiones Patris no-
Ierem. 2. 8. ſtri deſerentibus ingeratur; *Qui habent legem non nouerunt me: paſtores impiè egerunt in me.* Vnde alios corripit dicens: *Ego dedi hereditatem meam in manu tua, tu autem non dediſti vllam miſericordiam, ſenes aggrauaſti jugo.* Quod & vos non ſolùm
1. Cor. 14. 38. audire, verùm etiam intelligere neceſſe eſt. *Qui enim igno-*
Oſee 4. 6. *rat, ignorabitur.* Et in alio loco ſcriptum eſt; *Quia tu ſcientiam meam repuliſti, & ego repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi.*

XII. Itaque, Fratres chariſſimi, qui Cœnobiorum vitam & præcepta ſectamini, ſtate in arrepto ſemel propoſito, & implete opus Dei, vt Pater qui primus inſtituit Cœnobia, gaudens pro nobis loquatur ad Dominum; ſicut tradidi eis, ſic viuunt. Quod idem & Apoſtolus adhuc in corpore con-
1. Cor. 11. 2. ſtitutus loquebatur: *Laudo autem vos, quòd in omnibus meminiſtis mei, & ſicut tradidi vobis, traditiones meas cuſtodiſtis.*

XIII. Et vos ergò, Monaſteriorum Principes, eſtote ſoliciti & adhibete omnem curam pro Fratribus cum omni juſtitia, & timore Dei, nec abutamini poteſtate in ſuperbia; ſed exemplum præbete vos cunctis, & ſubdito gregi; ſicut
Pſ. 106. 41. & Dominus noſter in omnibus ſe exemplum præbuit, qui poſuit quaſi oues familias; vt miſereamini gregi vobis cre-
Act. 20. 20. dito, & memineritis Apoſtolicæ ſententiæ, in qua ait: *Nihil ſubtraxi, vt non annuntiarem vobis voluntatem Dei.* Et iterum: *Non ceſſaui deprecando vnumquemque veſtrum & docendo vos publicè.* Videte quanta viſcera miſericordiæ fuerint in homine Dei, qui non ſolùm ſolicitus eſt pro omnibus Eccleſiis; ſed languet cum languentibus, & omnium ſuſtinet paſſiones.

XIV. Caueamus ne per noſtram negligentiam aliquis ſcandalizetur & corruat; & obliuiſcamur verborum Domini Sal-
Ioan. 18. 9. uatoris, qui in Euangelio loquitur: *Pater, quos dediſti mihi, non perdidi ex eis aliquem.* Nullam animam contemnamus ne quiſquam per noſtram duritiem pereat. Si enim aliquis propter nos mortuus fuerit, anima noſtra pro illius anima tenebitur in reatu. Quod quidem & Pater noſter indeſinenter nobis ſolebat inculcare, & monebat, ne illud eloquium
Gal. 5. 15. impleretur in nobis: *Singuli opprimunt proximum ſuum.* Et iterum: *Si inuicem mordetis & deuoratis, videte ne ab inuicem con-*

sumamini. Ex quo apparet, quòd qui alterius seruat animam, custos animæ suæ sit.

XV. Sed & vos, qui secundi estis Monasteriis, primos vos exhibete virtutibus, ne quis vitio vestro pereat: Ne incurratis in illud opprobrium in quod incurrit ille, qui comedit & bibit cum ebriis, & non dedit in tempore suo conseruis cibaria: *Et veniet Dominus in die quà non sperat, & in hora quà nescit, & diuidat eum, & ponat partem ejus cum hypocritis, vbi fletus & stridor est dentium*; Ne quos apprehendat è vobis similis condemnatio; sed cùm tempora venerint refrigerij, mereamur audire: *Euge bone serue & fidelis quia super modicum fuisti fidelis supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Mat. 24. 50. Mat. 25.

XVI. Vos quoque, Præpositi domorum singularum, parati estote ad respondendum omnibus, qui à vobis exigunt rationem super ea fide, quæ in vobis est. Monete eos qui inordinati sunt, consolamini pusillanimes, sustinete infirmos, patienter agite ad omnes, & audite Apostolum monentem: *Et vos, patres, nolite ad iracundiam prouocare filios vestros, sed enutrite illos in disciplina, & admonitione Domini*; Et scitote, quia cui plus datum est, plus quæretur ab eo; & cui plus creditum est, amplius exigetur. Nec tantùm ea consideretis quæ vobis prosint, sed & illa quæ proximis; & impleatur in vobis scriptura dicens: *Quia vos sequimini vnusquisque vtilitatem domus suæ, idcirò continebit cælum rorem suum, & terra non dabit fruges suas; quoniam ingrauastis contra me sermones vestros.* Dicitur & alibi: *Quia non fecistis vni de minimis meis, nec mihi fecistis.* Sæpiùs dicam, & eadem repetam: Cauete ne alios diligatis & alios oderitis; ne hunc sustentetis, & illum negligatis; & cassus inueniatur labor vester, & omnis sudor pereat; & quando exieritis de corpore & de mundi hujus turbine liberati, portum vos putaueritis quietis intrare, tunc inueniatis injustitiæ naufragia; & in qua mensura mensi estis, remetiatur vobis ab eo, qui personas in judicio non accipit. Eph. 6. 4. Luc. 12. 48. Agg. 1. 10. Mal. 2. 17. Mat. 25. 46.

XVII. Si quid mortale, aut aliquid turpitudinis ob negligentiam Præpositorum in domibus commissum fuerit; post illorum propria supplicia, Præpositus quoque reus tenebitur & criminis. Quod semper nobis sanctæ memoriæ Pater no-

ster solebat ingerere. Quamobrem cum omni cautione & solicitudine singuli commissum sibi gregem custodiant, &
Luc. 2. 8. imitentur pastores de Euangelio; ad quos non dormientes sed vigilantes venit Angelus Dei, & Saluatoris eis annuntia-
Ioan. 10. 11. uit aduentum, qui & ipse loquitur: *Pastor bonus animam suam ponit pro ouibus suis: qui autem mercenarius est, & non est pastor, cujus non sunt oues, videt lupum venientem & relinquit gregem & fugit; & lupus rapit eum, atque deuastat; quia mercenarius est, & non ad eum pertinet de ouibus.* De bonis autem
Luc. 2. 8. pastoribus Lucæ scribit historia: *Erant autem pastores obseruantes & custodientes vigilias noctis super gregem suum, & Angelus Domini venit ad eos, & gloria Dei circumfulsit eos, & timuerunt timore magno, dixitque eis Angelus: Nolite timere; ecce enim Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni popul. quia est vobis hodie natus Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid. Et hujus rei signum erit vobis: inuenietis infantem pannis inuolutum & positum in præsepio.* Num illi soli eo tempore pascebant oues, & per deserta sequebantur gregem? sed quia soli erant soliciti, & naturalem noctium somnum insidiantium luporum timor superabat: idcircò primi audire meruerunt quòd in vicino sit; at Hierosolyma dormiens igno-
Ps. 120. 4. rabat; vnde & Dauid dicit: *Ecce non dormiet qui custodit Israël.*

XVIII. Itaque vos cum timore & tremore vigilate, operantes vestram salutem, & scientes quòd vniuersitatis Dominus, per quem omnis caro receptura est quicquid operata est, post Resurrectionem solis Apostolis apparuit, &
Ioan. 21. 15 dixit Apostolorum Principi Petro: *Simon Ioannis diligis me, plùs his?* Respondit ei: *Domine tu scis, quia diligo te. Dicit ei* IESVS: *Pasce agnos meos. Dicit ei rursum secundò: Simon Ioannis diligis me? Respondit ei, etiam Domine, tu scis quia diligo te: dicit ei: Pasce oues meas.* Tertiò præcepit vt pasceret oues: & in illo omnibus nobis hoc injunxit officium vt diligenter pascamus oues Domini; & in die visitationis ejus pro labore ac custodia recipiamus quæ nobis in Euangelio
Ioan. 17. 24. promisit, dicens: *Pater volo vt vbi sum ego, & isti sint me-*
Ioan. 12. 26. *cum.* Et iterum: *vbi ego sum, ibi & minister meus erit* Respiciamus ad promissa & ad præmia creduli; faciliùs omnem perferamus laborem, ambulantes sicut ambulauit ipse Dominus

minus qui promissor est præmiorum.

XIX. Vos quoque, qui secundi estis singularum domorum, humilitatem sectamini & modestiam; & singula præcepta Majorum, vitæ communis normam putate: vt in illis conseruandis vestras seruetis animas, & similes ei sitis qui ait: *Anima mea in manibus meis semper.* Filius glorificet patrem: *Psa.118,119*
& lætamini in fructibus vestris: quia absque operibus & fructibus nullus Domini societate lætabitur; vt cùm habueritis fructum in Domino, ipso herede & coherede potiamini.

XX. Sed & vos, omnes Fratres qui subjecti estis per ordinem liberæ seruituti, habetote accinctos lumbos vestros, *Luc.12.35.*
& ardentes lucernas in manibus, similes seruorum qui expectant Dominum suum quando reuertatur de nuptiis; vt cùm venerit & pulsauerit, statim aperiant ei. *Beati serui*, *Luc.12.37.*
quos veniens Dominus inuenerit vigilantes. Sic & vobis fiet: si longus labor lassitudinem non operetur in vobis, vocabimini ad cæleste conuiuium, & Angeli ministrabunt vobis. Hæ sunt repromissiones custodientium mandata Dei, & ista præmia futurorum. Gaudete in Domino, rursum dico, Gaude subjecti Patribus cum omni obedientia sine murmuratione, & cogitationibus variis simplicitatem animæ ad bona opera præferentes, vt pleni virtutibus & timore Dei, digni efficiamini adoptione Dei: *Arripite scutum fidei in quo possitis omnes sagittas diaboli ardentes restinguere, & gladium spiritus* *Ephes.6.16.*
quod est verbum Dei. Estote prudentes vt serpentes, & simplices *Mat.10.16.*
sicut columbæ. Audite Paulum loquentem: *Filij obedite parentibus, & possidete salutem animarum vestrarum, per eos qui vobis* *Colos.3.20.*
præpositi sunt. Et in alio quoque loco scriptum est: *Acquiescite Principibus vestris, & subjacimini; quia ipsi vigilant pro animabus vestris, rationem reddentes pro vobis.* Et semper illud timete, quod idem Apostolus loquitur: *Templum Dei estis;* *Heb.13.17.* *1.Cor.3.16.*
& spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Et iterum: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis iusti judicij.* *Eph.4.30.*

XXI. Seruate pudicitiam corporis vestri, vt sitis *hortus conclusus, fons signatus. Qui enim natus est ex Deo non peccat; quoniam semen illius in eo permanet.* Idem Ioannes loquitur: *Cant.4.12.* *1.Ioan.3.9.*

1. Ioan. 2. 14. *Scribo vobis juuenes, quoniam fortes estis, & sermo Dei in vobis permanet, & vicistis malignum.* Cùm & vos viceritis inimicum,
Osee. 13. 14. Deo vobis præbente auxilium, tunc & ipse dicet: *Eruam eos*
1. Cor. 15. 55. *de inferno, & redimam eos de morte; vbi est mors contentio tua, vbi est mors stimulus tuus?* Si verò mortem deuorauimus,
Rom. 6. 10. superabimus eam, & dicetur nobis: *Mors eis nequaquam dominabitur*; quoniam mors, quâ peccato mortui semel sumus, in nobis mortua est; & vitâ, quâ in Christo viuimus, semper viuemus: qui enim in carne moritur, justificabitur à peccato. Nequaquam vltrà viuamus in desideriis hominum, sed reliquam vitam in voluntate Dei expleamus. Qui timetis Dominum, armate vos castitate, vt audire mereamini:
Rom. 8. 9. *Vos autem non estis in carne sed in spiritu.* Et scitote quòd perfectis perfecta tribuantur, & inanibus reddantur inania iuxta ser-
Mat. 13. 12. monem Euangelicum: *Qui habet dabitur ei & abundabit; qui autem non habet & quod videbatur habere, auferetur ab eo.* Imi-
Mat. 25. 4. temur virgines sapientes, quæ cum sponso thalamum intrare meruerunt; quæ habebant in vasis suis & lampadibus oleum bonorum operum. Porro stultæ virgines clausam thalami januam repererunt, quia ante nuptias parare sibi oleum noluerunt. *Hæc in figura contingebant illis. Scripta sunt enim ad*
1. Cor. 10. 11. *correptionem nostram*, vt euitemus vetera, & seruemus præce-
Prou. 23. 15. pta Sapientis, qui ait: *Fili mi, si sapiens fuerit cor tuum, lætificabis cor meum; & commemorabunt labia mea sermones tuos, si tamen recti fuerint.* Et iterum: *Non æmuletur cor tuum peccatores sed in timore Dei esto tota die, & Dei cultum obserua jugiter.*

XXII. Vigilemus attentiùs & sciamus quòd magnam nobis Deus præstiterit gratiam per Patrem nostrum Pachomium vt renuntiaremus seculo, & omnem solicitudinem mundi, & curas rerum secularium pro nihilo poneremus. Quæ nobis occasio relicta est, vt habeamus quidquam proprium à funiculo vsque ad corrigiam calceamenti; cùm habeamus Præpositos, qui pro nobis cum timore & tremore soliciti sunt tam in cibo, quàm in vestitu, & corpusculi languore, si fortè obuenerit, vt in nullo timeamus, & per occasionem carnis animæ emolumenta perdamus? Liberi sumus, jugum de ceruicibus nostris mundanæ seruitutis abjecimus; cur rursum volumus reuerti ad vomitum nostrum, & aliquid habere, vnde soliciti simus, & quod perdere me-

tuamus? Ad quos vſus ſuperfluum palliolum, aut epulæ lautiores, aut melior lectus, cùm omnia in commune ſint præparata, & cruce Chriſti nihil durius ſit? juxta quam viuentes Patres noſtri ædificauerunt nos ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, & Euangeliorum diſciplinam, quæ angulari continetur lapide, Domino IESV CHRISTO; quem ſequentes de mortifera altitudine ad vitalem deſcendimus humilitatem, diuitias paupertate mutantes, & delicias ſimplici cibo.

XXIII. Nolite, obſecro vos, obliuiſci ſemel arrepti propoſiti; & traditiones Patris noſtri, ſcalas putemus ad cælorum regna tendentes. Ne deſideretis quæ antè calcaſtis; ſufficit nobis habere quod homini ſatis eſt: duo leuitonaria, & aliud attritum, & palliolum lineum, duos cucullos, zonam lineam, gallicas, pellem, & virgam. Cui miniſterium aliquod & diſpenſatio Monaſterij creditur, & ſi ex ea lucrum faciat, ſcelus putetur & ſacrilegium quidquam ex ea contingere & in propriam vertere requiem, quaſi deſpiciens eos qui non habent, & felici paupertate ſunt diuites; vt non ſolùm ipſe perierit, ſed & cæteros prouocet ad pereundum.

XXIV. Et illi quidem, qui incuruauerunt ceruicem ſuam & cum omni humilitate & afflictione lugentes atque plangentes impræſentiarum placuerunt Deo, cùm de corpuſculo iſto exierint, ducentur & accumbent cum ſanctis Patribus Abraham, Iſaac & Iacob Prophetis, & Apoſtolis; & conſolatione digna fruentur, ſicut & Lazarus in ſinu Abraham. Qui autem vixerunt in Cœnobio, & de communi in ſuos aliquid auerterunt vſus, cùm de corpore exierint, dicetur illis: *Mementote quia re epiſtis bona in vita veſtra*, Fra- Luc. 16. 25
tribus laborantibus & jejuniis, & continentiâ, & inceſſabili labore ſudantibus: Idcirco videte eos in gaudio atque lætitia qui reliquerunt præſentem vitam, vt futuram conſequerentur: vos autem in ſqualore & tormentis ac miſeria conſtitutos, quia noluiſtis Euangelicum audire ſermonem, & Eſaïæ contempſiſtis verba, dicentis: *Ecce qui ſeruiunt mihi, comedent; vos autem eſurietis: ecce qui ſeruiunt mihi, bibent; vos autem ſitietis: ecce qui ſeruiunt mihi exultabunt; vos autem clamabitis propter dolorem cordis veſtri, & ob contritionem ſpiritus ejulabitis*; Au- Iſa. 65. 13.
diſtis omnes beatitudines ſcripturarum, & noluiſtis ſuſcipere diſciplinam.

XXV. Ideo, Fratres, æquales simus à minimo vsque ad maximum, tam diues quàm pauper, concordia & humili-
2.Cor. 8. 15. tate perfecti, vt de nobis quoque possit dici: *Qui multum, non abundauit; & qui parum, non indiguit.* Ne quis suis prouideat deliciis, cauens fratrem in paupertate & angustia constitutum, & dicatur ei illud Propheticum: *Nonne Deus*
Mal. 2. 10. *vnus creauit vos? Nonne pater vnus omnium vestrum? Quare dereliquistis vnusquisque Fratrem suum, vt abominabile facerent testamentum Patrum vestrorum? Derelictus est Iuda, sed abominatio facta est in Israël.* Quapropter juxta illud quod Dominus atque Saluator præcepit Apostolis dicens: *Man-*
Ioan. 13. 34. *datum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut & ego dilexi vos: & in hoc sciemini quòd verè discipuli mei estis:* Nos inuicem amare debemus, & ostendere quòd verè simus famuli Domini IESV CHRISTI, & filij Pachomij, & discipuli Cœnobiorum.

XXVI. Si Præpositus domûs aliquem corripuerit ex Fratribus qui sibi subjecti sunt, erudiens eum in timore Dei, & cupiens ab errore corrigere; & alius voluerit pro eo loqui, & eum defendere, subuertens cor illius; qui hoc facit, peccat in suam animam, quia subuertit eum qui corrigi poterat, & consurgentem dejecit in terram, atque ad meliora tendentem malâ persuasione decepit, errans ipse, & alios
Abac. 2. 15. errare faciens. Huic illud aptabitur congruenter: *Væ qui potum dat proximo suo subuersionem turbidam, & inebrians eum;*
Deut. 27. 18 *Væ qui errare facit cæcum in via; Qui scandalizat quempiam*
Mat. 18. 6. *de his qui credunt Deo, expedit ei vt appendatur ei mola asinaria super collum ejus, & præcipitetur in mare:* quia subuertit, vt diximus, subleuantem se, & obedientem transtulit ad superbiam; & eum qui in dulcedine charitatis poterat ambulare, conuertit in amaritudinem, & subjectum legibus Monasterij malis consiliis deprauauit, fecitque odisse eum & contristari contra illum, qui eum docebat Domini disciplinam, lites serens inter Fratres, atque discordias, & non
Rom. 14. 4. timens illud quod scriptum est: *Tu quis es, qui judicas alienum seruum? suo domino stat, aut cadit; stabit autem: potens est autem Dominus rursum statuere illum.* Considera quid dixerit: *potens est autem Dominus rursum statuere illum.* Non ille potens est, qui verba Domini præteriit. Vnde, Fratres,

magnopere deuitemus alicujus mentem ſubuertere contra doctorem & monitorem ſuum ; Et meminerimus ſcripturæ dicentis : *Libera cor tuum à malitia , vt ſalueris* ; Ierem 4. 14
nec pro obedientia ſuperbiam & contumaciam in cordibus noſtris inuicem ſeminemus. Qui enim timet Dominum ſuum, ſi viderit fratrem ſuum errare & labi, magis debet monſtrare quæ recta ſunt, & rectum iter oſtendere, vt omni caſtitate & timore Dei incedens illam Salomonis exequatur ſententiam : *Libera eos qui ducuntur ad mortem, & redimere de interfectione non ceſſes. Ne dicas neſcio hunc. Scito quoniam Deus corda omnium nouit.* Prou. 24. 11.
Et Iudas in Epiſtola ſua loquitur ; *Et hos quidem de igne rapientes , & odio habentes carnalem commaculatam tunicam.* Ind. 1. 23.
Caueamus hujuſcemodi veſtimentum, & induamus potiùs armaturam Dei vt poſſimus reſiſtere contra inſidias diaboli : *Non eſt enim nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus poteſtates & principatus, aduerſus rectores tenebrarum harum, aduerſus ſpiritalia nequitiæ in cæleſtibus.* Eph. 6. 12.

XXVII. Hoc quoque maximè prouidendum eſt ne quis in alteram domum , & in alterius cellulam commendet aliquid contra Monaſterij diſciplinam. Qui talis eſt, non eſt in numero Fratrum, ſed mercenarius & aduena. Nec Paſcha Domini inter ſanctos debet comedere, quia factus eſt lapis ſcandali in Monaſterio : & de illo poſſet dici ; *Lapides de via mea projicite.* Ier. 50. 26
Si enim leuitonaria noſtra quando lauamus, & ſicca non fuerint, vſque ad veſperam non habemus poteſtatem apud nos tenere, damúſque Præpoſito, cui crediti ſumus, vel ei cui creditum eſt cellarium, vt deferat ad eum locum vbi veſtimenta pariter omnium reſeruantur ; & manè nobis dantur, vt expendamus illa ad ſolem ; & cùm ſicca fuerint non apud nos tenemus, ſed damus in commune ſeruandum , juxta præcepta Majorum : quantò magis ea, quæ propriè viſus es poſſidere, ſi alteri commendaueris, aut in tua volueris eſſe poteſtate, peccas in Monaſterij diſciplinam, & non intelligis Paulum tibi loquentem : *Vos autem in libertatem vocati eſtis, tantùm ne libertate in occaſionem carnis abutamini ; ſed charitate ſeruite inuicem.* Galat. 5. 13.
Et iterum : *Dominus juxta eſt, nolite eſſe ſoliciti, ſed eſtote in oratione intenti deprecationibus.* Phil. 4. 5.
Sciat quoque ille, qui ab alio

ſuſceperit commendatum, etſi rem ſe arbitratur facere piam vt Fratrem refrigeret, quòd peccet contra animam ſuam, ſubuertens regulas Monaſterij. O ſtulte! anima tua commiſſa eſt Præpoſito tuo, & qui animam tuam corpúſque cuſtodit, indignus habebitur, vt peritura conſeruet? Amemus, vt juſtificemur, juſtitiam; legimus enim: Miſericordia occurrit his qui faciunt veritatem.

XXVIII. Hoc quoque obſeruandum eſt, ne quis ſtulta cogitatione deceptus, imò diaboli laqueis irretitus, dicat in corde ſuo: Quando morior, tunc dono Fratribus quod habuero. O ſtultiſſime hominum, vbi hoc ſcriptum inueniſti? Nonne omnes ſancti ſeruientes Deo ſtatim omnem ſeculi ſarcinam depoſuerunt? Nonne in Actibus Apoſtolorum omnia quæ habebant, ad pedes deferebant Apoſtolorum? Aut quomodo poteris mortuus juſtitiæ induere veſtimentum, qui illud viuus habere non meruiſti? Quare oblitus es illud quod ſcriptum eſt: [a] *Quod ſeminauerit homo, hoc & metet*; Et: [b] *Vnuſquiſque recipiet juxta quod egit*; Et; [c] *Reddet vnicuique juxta opera ſua.* Et iterum: *Ego Dominus ſcrutans corda, & probans renes; vt reddam vnicuique juxta vias ſuas & juxta fructum adinuentionum ejus.* Quare dum verſaris in vita, & in hoc corpuſculo conſtitutus, non audis Dauid loquentem: *Theſaurizat, & ignorat cui congregat ea:* Et ſermonem Euangelicum auarum diuitem corripientem: *Stulte hac nocte animam expetent à te: Quæ autem præparaſti, cujus erunt?* Et iterum: *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Stulte quare non vis audire Dominum cohortantem: *Vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus; & tolle crucem tuam, & veni, ſequere me.* Quod adoleſcens audiens, conuerſus eſt retro, non enim erat rectum cor ipſius; & ideo non potuit grauem diuitiarum ſarcinam deponere. Habebat quidem voluntatem, vt ſcriptura teſtatur, perfectæ vitæ, & ſplendore virtutum trahebatur ad laudem; ſed retrahebant eum currentem diuitiæ; nec poterat Saluatoris audire doctrinam, quia adhuc de mundi deliciis cogitabat, vnde & Saluator loquitur: *Difficile eſt eos, qui habent diuitias, intrare in regnum cælorum*; Et iterum: *Nemo poteſt duobus dominis ſeruire; aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget; aut vni erit obediens, & contemnet al-*

[a] Gal. 6. 8.
[b] Pro 24 12
[c] Mat. 16. 27
Ier. 17. 10.
Pſ. 38. 7.
Luc. 12. 20
Pſ. 145. 4
Mat. 19. 21.
Matt. 19 23.
Mat. 6. 24.

terum : non potestis Deo seruire & mammonæ. Pharisæi autem, cùm essent auari, hæc audiebant & irridebant; quorum incredulitatem deuitemus, nec irrideamus eos qui nos prouocant. Renuntiemus mundo, vt perfecti perfectum sequamur IESVM. Quorum animam possidet auaritia, his videtur pro Christo stulta paupertas. Quæstus est magnus pietas cum sufficientia: *Nihil enim intulimus in hunc mundum, nec auferre quid-* Tim.6.1.7.
possumus; habentes enim victum & vestitum, his contenti sumus. qui autem volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum, in concupiscentias multas, quæ sunt stultæ & noxiæ, & demergunt homines in interitum & perditionem : radix enim omnium malorum cupiditas.

XXIX. Vsque hodie Helias Israëlem increpat, dicens: *Quousque claudicatis pede; si Deus est, ite & sequimini eum.* 3 Reg 18.21.
Et nobis loquitur : Si mandata sunt Dei quæ per Patrem nostrum tradidit nobis, & quæ sequentes possumus peruenire ad Regna cælorum; toto eadem desiderio compleamus. Si autem sequimur cogitationes nostras, & ad aliud tendit animus; cur non errorem simpliciter confitemur, & ostendimus nos esse quod videri erubescimus, ne fortè dicatur nobis: Quare polluistis locum meum sanctum; & ejiciam eos è domo mea. Siquidem Cœnobia Monachorum verè Dei domus est, & Sanctorum vinea; sicut scriptum legimus: *Vinea facta est Salomoni in loco qui vocatur Beelamon, dedit eam* Can. 8. 11.
custodibus; vnusquisque affert pro fructibus ejus mille argenteos. Vinea mea in conspectu meo est. Mille Salomoni, & ducenti his qui custodiunt fructum ejus. Ne igitur polluentes eam projiciamur; sicut in Euangelio legimus, ejectos esse de templo qui Ioan, 2. 15.
vendebant in eo oues & boues; nummularios quoque ingrediens Dominus atque Saluator, & faciens sibi flagellum de funiculis, ejecit de templo, & fundens æras mensásque vendentium, & his qui vendebant columbas, ait: *Auferte hæc omnia, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis; scriptum est enim : Domus mea, domus orationis vo-* Marc.11 17.
cabitur cunctis gentibus; vos autem fecistis eam speluncam latronum. Et alij; *Propter vos nomen meum blasphematur in gentibus.* Rom. 2. 24. & Isa. 52. 5.

XXX. Obsecro vos, Fratres, ne de nobis quoque dicatur: *Alius quidem esurit, alius autem ebrius est. An domos* 1.Cor 11.21.

non habetis vt comedatis , & bibatis , nisi fortè Ecclesiam Dei contemnitis & confunditis eos, qui non habent ? Ad quos dicitur : *Si quis esurit, domi comedat , vt non in judicium conueniatis.* Non sit domus nostra vocis alienæ, ne illud nobis

Ezec. 20. 8. congruenter aptetur : *Opera Ægypti non abstulerunt à se.* Et iterum : *In præceptis meis non ambulauerunt, & sabbata mea*

Ezec. 8. 18. *contaminauerunt ; propterea cùm clamauerint ad me, non exaudiam eos.* Non permaneamus in cordis duritia, & ad iracundiam prouocemus Deum, & fiat inimicus noster, & dicat:

Ezec 10.25 Osе. 10. 13. *Ego autem dabo eis præcepta non bona, & justificationes, in quibus non viuant ; quia comederunt fructum mendacij, & adorauerunt opera manuum suarum. Et repleta est terra eorum à prin-*

Ier. 1. 16. Isa. 2. 6. *cipio augurio, vt terra alienigenarum.* Ne postquam renuntiauerimus seculo & cœperimus vexillum crucis sequi, iterum ad posteriora conuersi, quæramus refrigerium tempo-

Ose. 12. 8. rale, imitantes Ephraïn dicentem ; *Diues factus sum, & inueni refrigerium mihi* Ne audiamus illud, quod & ille meruit audire : *Omnes labores illius non inueniuntur pro iniquitatibus*

Gal. 3. 3. *in quibus peccauit* ; Et ne illud impleatur in nobis : *Cœpistis spiritu, & nunc carne consummamini. Tanta passi estis sine causa* ; Et

Ezec. 7. 27. ille contra nos sermo dicatur : *Lex periit a Sacerdote, & consilium à Senioribus, & manus populi dissolutæ sunt ; Senes de porta quieuerunt ; electi à psalmis suis cessauerunt.* Rursúmque

Rom. 2. 24. dicatur : *Propter vos nomen meum blasphematur in Gentibus* ; Ne contemptis institutionibus Patris nostri subrepat obliuio, mediatorémque Dei atque Sanctorum nostro vitio negligamus. Quis enim fructus, aut quod signum præceptorum Dei inueniatur in nobis, aut in quo professionem impleamus arreptam ? Nonne omnia dimisimus, & auaritiæ sub-

Iacob. 4. 1. jacemus, & dicitur nobis : *Vnde bella & pugnæ ? nonne ex auaritia ?* Nam quia vnusquisque quærit vtilitatem suam & non proximi, vsque hodie viuens Ezechiel Prophetali sermone nos corripit, dicens : *Negotiatores erant in te, filius inhonorat patrem & pater exprobrat filio.* Quid in die judicij respondebimus, aut quid in nouissimo tempore pro defensione nostra poterimus obtendere ? Hæc omnia facta sunt nobis, quia *Sacerdotes plauserunt manibus, & populus dilexit*

Ier. 5. 31. Esai. 24. 2. *similiter :* quia *sicut populus, sic Sacerdos. Propterea red-*

Ier. 32. 19. *dam ei,* inquit, *secundùm vias suas, & cogitationes illius restituam ei.*

XXXI. Non

XXXI Non de omnibus vobis hæc loquor, ſed de his qui Majorum præcepta contemnunt : multóque melius erat illis ignorare viam juſtitiæ, quàm ſcientes reuerti ab eo, quod traditum eſt illis, ſancto mandato. De hujuſmodi hominibus mœrens Hieremias ſcribit: *Defecerunt in lacrymis oculi mei, conturbatus eſt venter meus, effuſa eſt in terra gloria mea ſuper contritione filiæ populi mei; quia defecit paruulus, & lactens in plateis ciuitatis. Matribus ſuis dixerunt: vbi eſt triticum & vinum? cùm deficerent quaſi vulnerati in plateis vrbis, cùm funderent animas ſuas in ſinu matrum ſuarum.* Scimus quòd *non in fortitudine equi velit Deus, neque in femoribus viri ſui complaceat:* & idcircò reuertamur ad Dominum Deum noſtrum, vt quando orauerimus exaudiat nos, qui quotidie hortatur vt vocemus & cognoſcamus eum; Et alibi loquitur : *Reuertimini ad me, & ego reuertar ad vos*; Et iterum : Reuertimini ad me, filij recedentes, & ego dominabor veſtri; Ezechiel ſimiliter conteſtatur ac dicit : *Quare moriemini domus Iſraël? Nolo mortem peccatoris, tantùm vt reuertatur de viâ ſua mala & viuat.* Et clementiſſimus ac totius bonitatis caput clamat in Euangelio ad nos Dominus, atque teſtatur: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris.*

Thren. 2.11 — *Mal. 3. 7. & Zac. 1. 3.* — *Ezech. 18. 31* — *Mat. 11. 28.*

XXXII. Conſideremus quòd bonitas Dei ad pœnitentiam nos prouocet, & ſancti viri cohortentur ad ſalutem: Non induremus corda noſtra; neque *theſaurizemus iram nobis in die iræ, & reuelationis juſti judicij Dei; qui reddet vnicuique juxta opera ſua*; Sed ex toto corde reuertamur ad Dominum, & ſecundùm Moyſis verba memorantis : *Si reuertaris ad Dominum ex toto corde tuo, mundabit cor tuum, & cor ſeminis tui.* Laboremus *ſicut boni milites Chriſti*, & obſeruemus illud quod ſcriptum eſt: *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus, vt ei, cui militat, placeat.* Si autem *& in agone contendat, non coronatur niſi legitimè certauerit. Laborantem agricolam oportet primùm de fructibus ejus participare*; Scriptum eſt: *Omnes populi ibunt vnuſquiſque in viam ſuam; nos autem in nomine Domini noſtri magnificabimur. Ipſi impediti ſunt & ceciderunt; nos autem ſurreximus & erecti ſumus. Qui ambulat in die non impingit, qui autem in nocte graditur impingit, quia lumen non*

Rom. 2. 5. — *Deut. 3. 10* — *2. Tim. 2. 3.* — *Ezech. 16.* — *Pſa. 19. 8.* — *Ioan. 11. 9. 10.*

& dicat nobis: *Inuocate me, & ego exaudiam vos.* Ipse enim *Ierem.29.12*
ait; *Qui dispersit Israël, congregauit eum.* Et alibi: *Non faciam,* *Hier.31.10.*
inquit, *juxta iram furoris mei, nec sic relinquam, vt deleam Ephraïm.* Et iterum: *Non in æternum puniam vos, nec semper irascar vobis. Spiritus enim à me egredietur; & omne quod spirat* *Isa.57.16.*
ego feci. Et in eodem loco jungit ac dicit: *Dedi eis consolationem veram, pacem super pacem his qui erant propè & longè; dixitque Dominus; sanabo eos.* Cujus vt plenè misericordiam cognoscamus, Hieremiæ sermone docet, dicens: *Si eleuatum fuerit cælum in sublime, & si humiliatum pauimentum terræ deorsum; ego non reprobo gentem Israël pro omnibus quæ fecerunt.* Cúmque tanta clementia sit Saluatoris Domini, & nos prouocet ad salutem, conuertamus corda nostra ad eum, quia jam hora est vt de somno vigilemus. *Nox præcessit, dies autem ap-* *Rom.13.12.*
propinquauit, deponamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Filioli mei, primùm ex toto corde diligamus Deum, deinde nosmetipsos amemus mutuò, memores præceptorum Dei Saluatoris, in quibus ait: *Pacem meam do vo-* *Ioan.14.27*
bis; pacem meam relinquo vobis; non sicut mundus dat, pacem ego do vobis. In his enim duobus mandatis tota lex pendet & Prophetæ.

XXXVI. Si quis in domo Monasterij sub Præposito manens, nulla re indigens, quam in Monasterio habere permissum est, & habet patrem fratrémque & amicum charissimum, nihil ab eis penitus accipiat, non tunicam, non palliolum, non aliam quamlibet rem. Si autem comprobatum fuerit, quòd minus habeat de iis quæ præcepta sunt; culpa atque omnis correptio ad Præpositum conuertetur. Vos igitur qui estis Principes Monasteriorum, si quos aliqua re videritis indigere, & esse in angustia constitutos, nolite eos negligere, scientes quòd estis reddituri rationem pro omni grege, super quem vos Spiritus sanctus constituit inspicere & pascere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit proprio sanguine. Propte- *Rom.15.1.*
rea nos, *qui fortiores sumus, debemus infirmitates inualidorum portare, & non nobismetipsis placere, sed proximo in bonum ad ædificationem:* nam & Christus non *sibi placuit, sed sicut scriptum est: Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* Et iterum: *Ps.68.10.*
Non quæro, inquit, *quod mihi expedit, sed quod omnibus, vt* *1.Cor.10.33.*
salui fiant. Si autem Dominus ac Saluator noster ita præce-

pit, & Sancti ita conuersati sunt, Patres quoque nostri ita nos docuerunt, consurgamus à somno, & quæ sunt nobis
Rom. 15. 4. præcepta faciamus : *Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram eruditionem scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus*; & nullus nostrûm causa sit erroris alieni.

XXXVII. Nec æmulemur eos qui prospera agunt in via sua; cùm enim omnia carni necessaria fuerint consecuti, morientes nihil secum asportabunt. Filij seculi hujus habent in hoc seculo fiduciam, quoniam de mundo sunt, & mundus amat quod suum est. Qui autem filij Dei sunt, il-
Ioan. 15. 18. lius sermonis Euangelici recordentur; *Si mundus vos odit,*
Iacob. 4. 4. *scitote, quòd me primùm oderit.* Et iterum: *Qui voluerit esse*
Ioan. 16. 33. *amicus hujus mundi, inimicus fiet Deo.* Et rursum; *Tribulationem habebitis, sed confidite, ego vici mundum.* Et iterum: *Bea-*
Mat. 5. 5. *ti qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* De filiis autem noctis quid è contrario dicitur? nonne
Luc. 6. 24. illud? *Væ vobis diuites, quoniam recepistis consolationem vestram. Væ vobis qui saturati estis nunc, quia esurietis. Væ vobis qui nunc ridetis, quoniam lugebitis ac flebitis.* Quamobrem mundi amicitias deuitemus, vt illud mereamur audire : *Ad vesperum*
Ps. 29. 6. Id. 11. *demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Audiuit Dominus*
Id. 12. *& misertus est mei. Scidisti saccum meum, & accinxisti me lætitia.*

XXXVIII. Quis enim Sanctorum non in luctu, at-
Iere. 15. 17. que tristitia per mundi hujus transiuit viam? Ieremias, *Non sedi*, inquit, *cum concilio ludentium, sed tremebam à facio manus tuæ. Solus sedebam quoniam amaritudine repletus sum.*
Ps. 34. 14. Dauid quoque scribit: *Quasi lugens ac mærens sic humiliabar.* Quorum nos vestigiis insistentes intelligimus, quòd salus nostra in tempore tribulationis sit, & Prophetæ pollicitatio impleatur dicentis: *Non relinquuntur qui in angustia sunt vsque ad tempus.* Si ergo habent tempus tribulatio & angustia, & non erit sempiterna, seminemus in lacrymis, vt metamus in gaudio, non deficientes, quòd nouerimus Domi-
Isa. 63. 16. Id. 33. 22. num de tentatione liberare cultores suos. *Dominus Pater noster est, Dominus judex noster est, Dominus Princeps, Dominus*

Rex noster, Dominus nos ipse saluabit. Cujus præcepta si neglexerimus, permanebimus in angustia. Ipse enim dicit: *Qui sequuntur me, possidebunt terram, & hereditabunt montem sanctum meum.* Quem & nos possidebimus, si impleamus legem ejus, & audiamus illud quod dicitur: *Mundas facite in conspectu ejus vias vestras*; Et iterum: *Tollite offendicula de via populi mei*; Et alibi: *Ejicite de consilio pestilentem, & egredietur cum eo contentio.* Qui justum dicit injustum, & injustum judicat justum, vterque in conspectu Dei immundus est. Esai. 57. 13. Matt. 3. 4. Esai. 57.14

XXXIX. Caueamus ne dicatur & de nobis; Filij alienati sunt eis; Et illud: *Filiæ Sion eleuatæ sunt, & ambulauerunt in excelso collo, & in superbia oculorum, trahentes pedibus tunicas: & pedibus simul ludentes*; Et in correptione nostra rursum prophetalis sermo concordet, dicens: *Quomodò facta est meretrix ciuitas Sion fidelis, plena judicio, in qua justitia dormit? Nunc autem latrones & populus intelligens commiscebatur meretrici. Tu ergo Israël ne ignoraueris.* Si autem diuina meditemur, poterimus illud dicere quod & Dauid: *Exultabo super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa.* Et, *Quàm dulcia gutturi meo eloquia tua; super mel & fauum ori meo. Cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.* Et in alio loco: *Non proposui ante oculos meos rem iniquam; facientes iniquitatem odio habui.* Et, *Non adhæsit mihi cor prauum, declinantes à me malignos non agnoscebam. Detrahentem in absconso proximo suo hunc persequebar. Superbo oculo & insatiabili corde cum hoc simul non edebam. Oculi mei super fideles terræ, vt facerem eos sedere mecum.* Isai 3.16. Isai. 1. 28. Ps. 118.162. Id. 103. Id. 54. Ps. 100. 3.

XL. Quorum omnium nos imitemur opera, vt sit in diebus nostris pax & justitia, & non nobis illud eueniat, quod alibi legimus: *Super terra populi mei spinæ & fœnum consurgent*; sed magis innouemus nobis noualia, & non seminemus super spinas; cúmque custodierimus quæ mandata sunt nobis, manifesti erimus, quòd diligamus Deum, sicut testatur & in alio loco scriptura diuina: *Qui audit mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me; qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & veniemus ego & Pater meus, & mansionem apud eum faciemus & ostendam ei meipsum*: Et: *Vos amici mei estis si feceritis, quæ ego præ-* Isai. 32. 13. Ioan. 14. 21. Ioan. 15

pit, & Sancti ita conuersati sunt, Patres quoque nostri ita nos docuerunt, consurgamus à somno, & quæ sunt nobis
Rom. 15. 4. præcepta faciamus: *Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram eruditionem scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus*; & nullus nostrûm causa sit erroris alieni.

XXXVII. Nec æmulemur eos qui prospera agunt in via sua; cùm enim omnia carni necessaria fuerint consecuti, morientes nihil secum asportabunt. Filij seculi hujus habent in hoc seculo fiduciam, quoniam de mundo sunt, & mundus amat quod suum est. Qui autem filij Dei sunt, il-
Ioan. 15 18. lius sermonis Euangelici recordentur; *Si mundus vos odit,*
Iacob. 4. 4. *scitote, quòd me primùm oderit.* Et iterum: *Qui voluerit esse*
Ioan. 16. 33. *amicus hujus mundi, inimicus fiet Deo.* Et rursum; *Tribulationem habebitis, sed confidite, ego vici mundum.* Et iterum: *Bea-*
Mat. 5. 5. *ti qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* De filiis autem noctis quid è contrario dicitur? nonne
Luc. 6. 24. illud? *Væ vobis diuites, quoniam recepistis consolationem vestram, Væ vobis qui saturati estis nunc, quia esurietis. Væ vobis qui nunc videtis, quoniam lugebitis ac flebitis.* Quamobrem mundi amicitias deuitemus, vt illud mereamur audire: *Ad vesperum*
Ps. 29. 6. Id. 11. *demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Audiuit Dominus*
Id. 12. *& misertus est mei. Scidisti saccum meum, & accinxisti me lætitia.*

XXXVIII. Quis enim Sanctorum non in luctu, at-
Iere. 15. 17. que tristitia per mundi hujus transiuit viam? Ieremias, *Non sedi*, inquit, *cum concilio ludentium, sed tremebam à facie manus tuæ. Solus sedebam quoniam amaritudine repletus sum.*
Ps. 34. 14. Dauid quoque scribit: *Quasi lugens ac mærens sic humiliabar.* Quorum nos vestigiis insistentes intelligimus, quòd salus nostra in tempore tribulationis sit, & Prophetæ pollicitatio impleatur dicentis: *Non relinquuntur qui in angustia sunt vsque ad tempus.* Si ergo habent tempus tribulatio & angustia, & non erit sempiterna, seminemus in lacrymis, vt metamus in gaudio, non deficientes, quòd nouerimus Domi-
Isa. 63. 16. Id. 33. 22. num de tentatione liberare cultores suos. *Dominus Pater noster est, Dominus judex noster est, Dominus Princeps, Dominus*

Rex noster, Dominus nos ipse saluabit. Cujus præcepta si neglexerimus, permanebimus in angustia. Ipse enim dicit: *Qui sequuntur me, possidebunt terram, & hereditabunt montem* Esai. 57. 13.
sanctum meum. Quem & nos possidebimus, si impleamus legem ejus, & audiamus illud quod dicitur: *Mundas facite in* Matt. 3. 4.
conspectu ejus vias vestras; Et iterum: *Tollite offendicula de via populi mei*; Et alibi: *Ejicite de consilio pestilentem, & egre-* Esai. 57.14
dietur cum eo contentio. Qui justum dicit injustum, & injustum judicat justum, vterque in conspectu Dei immundus est.

XXXIX. Caueamus ne dicatur & de nobis; Filij alienati sunt eis; Et illud: *Filiæ Sion eleuatæ sunt, & ambulaue-* Isai 3. 16.
runt in excelso collo, & in superbia oculorum, trahentes pedibus tunicas: & pedibus simul ludentes; Et in correptione nostra rursum prophetalis sermo concordet, dicens: *Quomodo fa-* Isai. 1. 21.
cta est meretrix ciuitas Sion fidelis, plena judicio, in qua justitia dormit? Nunc autem latrones & populus intelligens commiscebatur meretrici. Tu ergo Israël ne ignoraueris. Si autem diuina meditemur, poterimus illud dicere quod & Dauid: *Exultabo super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia mul-* Ps. 118.162.
ta. Et, *Quàm dulcia gutturi meo eloquia tua; super mel & fa-* Id. 103.
uum ori meo. Cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco pere- Id. 54.
grinationis meæ. Et in alio loco: *Non proposui ante oculos meos* Ps. 100. 3.
rem iniquam; facientes iniquitatem odio habui. Et, *Non adhæsit mihi cor prauum, declinantes à me malignos non agnoscebam. Detrahentem in abscondso proximo suo hunc persequebar. Superbo oculo & insatiabili corde cum hoc simul non edebam. Oculi mei super fideles terræ, vt facerem eos sedere mecum.*

XL. Quorum omnium nos imitemur opera, vt sit in diebus nostris pax & justitia, & non nobis illud eueniat, quod alibi legimus: *Super terra populi mei spinæ & fœnum consurgent*; Isai. 32. 13.
sed magis innouemus nobis noualia, & non seminemus super spinas; cúmque custodierimus quæ mandata sunt nobis, manifesti erimus, quòd diligamus Deum, sicut testatur & in alio loco scriptura diuina: *Qui audit man-* Ioan. 14. 21.
data mea, & seruat ea, ille est qui diligit me; qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & veniemus ego & Pater meus, & mansionem apud eum faciemus. & ostendam ei meipsum: Et: *Vos amici mei estis si feceritis, quæ ego præ-* Ioan. 15

cipio vobis. Tollamus nobiſcum multos ſermones, & conuertamur ad Dominum Deum noſtrum, & dicamus ei, Potes dimittere peccata, vt accipiamus bona, & reddamus ei fructum labiorum noſtrorum, & delectetur in nobis anima noſtra. Atque vtinam pœniteat nos erroris & negligentiæ, &
Oſee. 14. 4. conuerſi ad priora dicamus: *Aſſur non ſaluabit nos; ſuper equos non aſcendemus, nec jam dicemus: Dij noſtri opera manuum noſtrarum;* quia ejus, qui in te *eſt, miſerebitur pupilli; ſa-*
Id. 5. *nabo habitacula eorum.* Rurſumque dicet de nobis: *Diligam eos manifeſtè, & auertam iram meam ab eis. Ero quaſi ros; Iſraël florebit vt lilium, & mittet radices ſuas, quaſi Libanus. Ibunt rami ejus, & erit quaſi oliua fructifera, & odor ejus vt thuris. Reuertentur & ſedebunt vnuſquiſque in tabernaculis ſuis; & viuent, & confirmabuntur frumento: florebit ſicut vinea memoria eorum, ſicut odor thuris. Ephraim quid ei & idolis? Ego humiliabo eum, & confortabo eum. Ego vt juniperus condenſa, ex me fructus ejus inuentus eſt. Quis ſapiens & intelligit hæc, aut intelligens & cognoſcit iſta?* Atque vtinam & nos ex eo fructum afferre valeamus, ſine quo nihil boni operis fieri poteſt. Reuertamur ad Dominum vt de nobis quoque poſſit
Iere. 31. 34. dicere: *Peccatorum & iniquitatis eorum memor ampliùs non ero.*

XLI. Non relinquamus legem Dei, quam Pater noſter ab eo accipiens nobis tradidit, neque parui ejus mandata
Thren. 4. 1. pendamus, ne & ſuper nos planctus ille dicatur: *Quomodo obſcuratum eſt aurum, & immutatum argentum bonum; effuſi ſunt lapides ſancti in omni viarum principio?* Nec poſt plurimos labores Patris noſtri, quos pro ſalute noſtra ſuſcepit, ſeipſum exemplum virtutis tribuens, & glorians de nobis atque apud ſanctos loquens: *Iſti filij mei ſunt, & populus meus: filij mei, & non denegabunt.* Et poſt hujuſcemodi teſtimonium non perdamus fiduciam bonæ conſcientiæ, ſpoliati veſtibus, quibus nos induit; & introducti ab eo in ſtadium, vt legitimè certaremus, non ſuperemur ab inimicis noſtris. Et poſtquam venerimus ad illud tempus, quo egrediamur de corpore, ne inimici efficiamur Patris noſtri, theſauris ſeruientes, vt qui jejuniis & afflictione corporis debuimus acquirere animæ libertatem, carni & deliciis & pulchrioribus veſtimentis, ſtratiſque mollioribus nos dedice-

mus, non solùm ipsi pereuntes, sed & alios, qui proficere potuerunt, exemplo nostro ducentes ad ruinam, de quibus scriptum est: *Non accepistis spiritum seruitutis in timorem,* 2.Tim 1. 7. sed *fortitudinis & charitatis & pudicitiæ.* Et, *Cibus nos non* 1.Cor. 8. 8. *commendat Deo. Neque enim si comederimus, abundabimus; nec si non comederimus, indigebimus. Non est enim regnum* Rom. 14. 17. *Dei cibus & potus; sed justitia, gaudium & pax in Spiritu sancto.* Qui in hoc seruit Christo, placet Deo, probatus est omnibus. Esaïas quoque dicit: *Qui expectant Dominum,* Isai. 40. 31. *immutabunt virtutem, assument pennas vt aquilæ, current & non laborabunt, gradientur & non esurient. Idcircò eleuauit si-* Isai. 5. 26 *gnum in gentes, & congregabit profugos Israël. Scito, velociter venient, non esurient, neque dormitabunt, non dormient, nec soluent zonas de lumbis suis; neque rumpentur in calceamentis eorum corrigiæ: Quorum jacula acuta sunt, & intenti arcus; pedes eorum vt petra fortissima. Rotæ curruum quasi tempestas, impetum facient vt leones, & aderunt vt catuli leonum.*

XLII. Et nos igitur Sanctorum imitatores simus, nec obliuiscamur institutionis, qua nos erudiuit Pater noster dum adhuc esset in corpore. Ne extinguamus lucernam ardentem, quam posuit super capita nostra. Ad cujus lumen per iter hujus seculi incedentes meminerimus, quòd per studium illius Deus nos in propriam familiam receperit, peregrinis hospitium tribuens, in maris turbinibus constitutis portum ostendens, panem in fame, vmbram in æstu, vestimentum in nuditate, imperitos præceptis spiritualibus erudiuit; vitiis seruientes castitate circundedit, procul positos sibi junxit. Ne post illius dormitionem obliuiscamur tantæ bonitatis & beneficiorum immortalium, vertentes fauorem in judicium, & fructum justitiæ in amaritudinem, & loquatur contra nos: Iudicate inter me & vineam Isai. 5. 3. meam, expectaui vt faceret fructum & fecit iniquitatem, & non justitiam, sed clamorem: & veniat super nos illa maledictio quam prophetalis sermo ille prosequitur, & quam omni studio fugere ac vitare debemus sequentes conuersationem eorum, qui nos in Domino præcesserunt, Patrum pariter ac Fratrum, qui renuntiantes seculo & inoffenso ad Dominum pergentes gradu, nunc ejus hereditate

potiuntur; quàm vereor ne perdamus noſtrâ deſidiâ, & illud nobis propheticum coaptetur, quod dictum eſt de
Pſal.105.35 Ephraïm: *Oleum in Ægyptum mercatur. Mixti ſunt in gentibus, & didicerunt opera eorum.* Ne poſtquam vocati ſimus
Iere 3. 14. in libertatem, ſicut ſcriptum eſt: *Tollam eos, vnum de populo & duos de familia, & inducam eos in Sion: & dabo vobis Paſtores ſecundùm cor meum, qui paſcent vos cum diſciplina,*
Mal.1. 6. ne ſoluantur vincula charitatis, & dicatur de nobis: *Filius glorificat Patrem, & ſeruus dominum ſuum. Si Pater ego ſum, vbi eſt gloria mea? Si Dominus, vbi eſt timor meus?*

XLIII. Idcirco vnuſquiſque noſtrum clamet ad Domi-
Thren.2.18 num: *Muri Sion deducant ſicut torrentes lacrymas die ac nocte. Ne des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui. Sur-*
Id. 19. *ge & lauda in nocte, in principio vigiliarum tuarum effunde ſicut aquam cor tuum, in conſpectu Domini. Leua ad illum manus tuas pro animabus paruulorum tuorum, qui defecerunt in capite vniuerſorum greſſuum.* Neque illud contra nos dica-
Iſai. 24. 4. tur: *Luxit, & corruptus eſt orbis: luxerunt excelſi terræ, & terra impiè egit propter habitatores ſuos: dereliquerunt enim legem & immutauerunt præcepta mea, teſtamentum æternum. Idcirco maledictio deuorauit terram, quia peccauerunt habitatores ejus, & dereliquerunt homines pauci:* ne & noſtrum vinum lugeat & vinea, & ingemiſcant qui priùs toto animo lætabantur, dicatúrque de nobis in domo: *Inſaniam confixerunt,*
Iſai. 28. 15. *corrupti ſunt ſicut dies collis*; aut illud: *Captio ex vobis eſt, dixiſtis enim, feciſtis teſtamentum cum inferno, & cum morte pactum.* Quæ verba vitantes credimus magis quòd in tempo-
Num.24.14 re ſuo *Orietur ſtella ex Iacob; & exurget homo de Iſraël, qui percutiet Principes Moab, & filios Seth; vt non ſit in domo Iſraël ſtimulus furoris, & ſpina doloris; quia facta eſt Domino pars ejus Iacob, funiculus hereditatis ejus Iſraël.* Et
Iere. 31. 36. alibi loquitur Hieremias; *Si ceſſauerit in conſpectu meo lex*
Iſai. 61. 6. *iſta, & gens Iſraël ceſſare poterit.* Et rurſum: *Dabo laborem eorum juſtis, & teſtamentum æternum ponam cum ipſis, & ſcietur in Gentibus ſemen eorum ac nepotes; omnis qui viderit eos, cognoſcet quia iſti ſunt ſemen benedictum à Deo, & gaudio Domini perfruentur.*

XLIV. Et nos ergo ſcrutemur vias noſtras, & greſſus dijudicemus, & ſequamur odorem ſcientiæ, abſcondentes

ſemper

ſemper verba ejus in cordibus noſtris, vt ſimus immaculati in via, & in lege Domini ambulemus. Non nos terreat fragilitas corporis & longi temporis labor. *Patres noſtri, vbi ſunt & Prophetæ?* ſicut ſcriptum eſt, *nunquid in æternum viuent? verba autem mea & legitima mea ſuſcipite, quæ ego præcipio in ſpiritu meo ſeruis meis & prophetis, qui fuerunt cum Patribus veſtris.* Zac 1. 5. Sentiamus ineffabilem clementiam Dei noſtri, qui vſque hodie nos ad pœnitentiam hortatur dicens: *Nunquid qui cadet non reſurget, aut qui auerſatur, non reuertetur? Quare auerſatus eſt populus meus auerſione impudenti, & obtinuerunt in voluptatibus ſuis, & noluerunt reuerti?* Ier. 8. 4. Si reuerſi fuerimus ad eum, ædificabit nos Spiritu ſancto, juxta illud quod ſcriptum eſt: *Ædificans Hieruſalem Dominus, diſperſiones Iſraëlis congregabit.* Pſal. 146. 2.

XLV. Quòd autem noſtri cætus communio ex Deo ſit, qua nobis inuicem copulamur, Apoſtolus nos docuit dicens: *Bonorum operum & communionis obliuiſci nolite, talibus enim victimis placent Deo.* Heb. 13. 16. In Actibus Apoſtolorum quoque idem legimus: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna: & nullus eorum quid poſſidebat, ſed erant eis vniuerſa communia.* Act. 4. 32. Et: *virtute magna dabant Apoſtoli teſtimonium Reſurrectionis Domini* IESV. Ibid. 33. Et Pſalmiſta in eadem verba conſentit dicens: *Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in vnum.* Pſal. 132. 1.

XLVI. Et nos in Cœnobiis commorantes & nobis mutua charitate ſociati demus ſtudium, vt quomodo Sanctorum Patrum in hac vita meruimus conſortium, ita in futuro quoque participes eorum ſimus, ſcientes quòd crux vitæ noſtræ, doctrinæ quoque principium ſit, & oporteat nos cum Chriſto pati, & noſſe quòd abſque tribulationibus & anguſtiis nullus victoriam conſequatur. *Beatus vir qui ſuffert tentationem, quia cùm probatus fuerit, coronam vitæ accipiet;* Iacob. 1. 12. Et iterum: *Laborauit in ſeculum & viuet in æternum.* Pſ. 48. 9. *Si tamen compatimur vt & glorificemur. Æſtimo,* inquit, *quòd non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis;* Rom. 8. 17. Et alibi ſcriptum eſt: *Exiſtimaui vt cognoſcerem hoc, labor eſt in conſpectu meo.* Pſal. 72. 16. Et iterum: *Ego autem laboraui ſequens te, & diem hominum non conſideraui;* Ier. 17. 16. Et in alio loco: *Multæ tribulationes juſtorum, & ex om-* Pſal. 33. 20.

nibus his liberauit eos Dominus. Et Dominus noster loquitur in Euangelio : *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluabitur*; Et alibi: *Hic liber mandatorum est, & lex scripta in sempiternum. Omnes qui obseruauerint eam, viuent; qui autem dereliquerint, morientur. Reuertere Iacob, & apprehende eam; ambula in splendore luminis ejus; & non des alteri gloriam tuam, & ea, quæ conducunt tibi, genti alienæ. Beati sumus Israël, quia placita Deo nostro, nota sunt nobis. Confide populus meus, memorabilis Israël*; Et iterum Esaïas loquitur: *Lætare Israël; & festum agite diem omnes qui diligitis eum: gaudete qui confiditis in eo, vt sugatis, & impleamini.*

Matt.10.22. Baruch.4.1. Esai.66.10.

XLVII. Habeamus curam legendarum & discendarum scripturarum, & in earum semper meditatione versemur, sciente scriptum: *Ex fructu oris sui vir saturabitur; & merces laborum ejus reddetur.* Hæc sunt quæ nos ducant ad æternam vitam, quæ nobis tradidit Pater noster, & jugiter meditanda præcepit, vt compleatur illud in nobis, quod scriptum est: *Erunt hæc verba, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & in anima tua: docebis ea filios tuos. Et loquéris in eis sedens in domo, & ambulans in via, & accubans atque consurgens. Scribe ea pro signo in manu tua, & erunt immobilia ante oculos tuos. Scribes quoque ea in postibus domuum tuarum, & in liminibus, vt discatis timere Dominum cunctis diebus, quibus viuitis.* Salomon quoque idipsum significans dicit: *Scribe ea in latitudine cordis tui.* Considerate quantis testimoniis ad meditationem sanctarum scripturarum nos sermo Domini cohortetur, vt quæ ore voluimus, fide possideamus: *Bonum est homini cùm leuauerit jugum ab adolescentia sua; sedebit solitarius & tacebit, quoniam leuabit super se jugum. Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis; quoniam non semper Dominus abjiciet.* Et alibi scriptum est: *Recordatus sum misericordiæ infantiæ tuæ.* Et iterum: *Lætare juuenis in adolescentia tua, & exultet cor tuum in diebus juuentutis tuæ, & ambula in viis cordis tui absque macula, & in conspectu oculorum tuorum; & scito quoniam in omnibus his adducet te Dominus in judicium. Aufer furorem de corde tuo, & malitiam à carne tua; quoniam adolescentia, & stultitia vanitas est. Et memento Creatoris tui in diebus adolescentiæ tuæ, donec veniant dies pessimi, & occupent anni, in quibus dices:*

Prou.18.20. Deut.6.6. Deu.14.23. Prou.3.3. Thren.3.27. Ier.2.2. Eccl.11.9. Ibid.12.1.

Non est mihi in eis voluntas ; donec obtenebrescat sol & lux, & luna, & stellæ, & conuertantur nubes post pluuiam. In die qua mouebuntur custodes domus, & subuertentur viri virtutis, & cessabunt molentes, quia paucæ factæ sunt ; & obscurabuntur quæ vident in foraminibus, & claudent vas in foro, in infirmitate vocis molentis. Et exurgent ad vocem passeris, & humiliabuntur omnes filij cantici. Et quidem ab alto aspicient & pauores in via : & floreat amygdalum, & incrassetur locusta, & scindatur capparis. Quoniam abiit homo in domum seculi sui, & gyrauerunt in foro qui plangunt, quoadvsque euertatur funiculus argenti, & conteratur monile auri, & confringatur hydria ad fontem, & impediatur rota super lacum, & conuertatur puluis in terram sicut fuit, & spiritus reuertatur ad Dominum, qui dedit eum. In Euangelio quoque scriptum est : *Pueri nunquid habetis pulmentum? Mittite in dextram partem nauis, & inuenietis.* Et iterum : *Omnis puer ac juuenculus qui nescit hodie bonum ac malum, ipsi intrabunt in terram bonam.* Et rursum : *Omne masculinum, quod aperit vuluam, sanctum vocabitur.* Et in Euangelio : *Puer autem ibat & crescebat, & proficiebat apud Deum & homines.* IESVS quoque minister Moysi juuenis erat, & non egrediebatur de tabernaculo Dei. Et de David scriptum legimus : *Puer flaui coloris, elegantibus oculis.* Timotheus quoque adhuc puer & adolescens sacris literis deditus est, vt ad fidem Domini Saluatoris illarum semina peruenirent. Et de Daniele, quia eruditus erat, scriptum legimus, quòd *vir desideriorum* appellatus sit. Ioseph quoque erat dilectissimus patri suo, quia ejus imperiis seruiebat, & decem ac septem adhuc natus annos, præcepta illius legem vitæ suæ arbitrabatur.

Ioan. 21. 5. *Exod. 13. 2. & Luc. 2. 23.* *Luc. 2. 40.* *1. Reg. 16. 12.* *Dan. 9. 23.* *Gen. 37. 3.*

XLIX. Et hæc cuncta replicaui, vt Sanctorum vitas considerantes non circumferamur omni vento doctrinæ, sed laboremus, & eorum conuersationem nostræ vitæ propositum habeamus exemplum, vt simus populus Dei peculiaris ; *Nec contristemus Spiritum sanctum in quo signati sumus in die redemptionis* ; nec illum extinguamus in nobis, & prophetias non contemnamus, ne forsitan volenti Spiritui sancto habitare in nobis, non demus locum. Nullum alium timeamus præter Deum, qui vltor & judex est operum singulorum, & cum sancto sanctus, & cum viro innocente inno-

Ephes. 4. 30.

Prov. 8. 17. cens. Et dicit: *Ego amantes me diligo, & qui me quærunt,*
Leu. 26. 23. *inuenient gaudium.* Et alibi loquitur: *Si ambulaueritis contra me peruersi, & ego ambulabo contra vos peruersus.*

L. Non irascamur inuicem; etiam si ira nos vicerit, non peccemus irati, solis occubitum pœnitentiâ præuenientes. Meminerimus esse præceptum, quoties peccanti in nos ignoscere debemus, & munus nostrum relinquere ante altare, quod nequaquam suscipitur, nisi fuerit reconciliatione placabile, vt possimus dicere: *Dimitte nobis debita nostra, sicut*
Luc. 11. 4. *& nos dimittimus debitoribus nostris.* Et Apostolus præcepit: *Si*
Coloss. 3. 13. *quis habet aduersus aliquem querimoniam, sicut & Christus donauit nobis, sic facite.* Simus discipuli mansuetudinis Sanctorum omnium, & præcipuè Dauid, de quo scriptum est:
Ps. 131. 1. *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis ejus;* Et Moy-
Num. 12. 3. sis, de quo legimus quòd *Mansuetus fuerit super omnem terram.* Et Dominus in Euangelio de mansuetis ac mitibus
Mat. 5. 4. loquitur: *Beati mites quoniam possidebunt terram.* Magnæ sa-
Prou. 23. 15. pientiæ est mansuetudinem possidere, & audire: *Sapiens esto fili, vt lætetur cor meum.* Et iterum: *Imitatores estote Dei*
Eph. 5. 1. Mat. 5. 48. *vt filij charissimi.* Et, *Estote perfecti sicut & Pater vester, qui*
Leu. 11. 44. *est in cælis, perfectus est.* Et alibi: *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum, dicit Dominus.* Quæ legentes testimonia seminemus nobis justitiam vt metamus fructum vitæ. Illuminemus lucem scientiæ, quia tempus est, vt cognoscamus Deum
2. Cor. 6. 2. donec veniet fructus justitiæ nobis: *Ecce nunc tempus acceptabile & dies salutis.* Et verè secundùm quod scriptum est,
Rom. 13. 10. *Plenitudo legis est dilectio.* Ioanne in hæc eadem concinente:
1. Ioan. 3. 23. *Hoc præceptum accepimus à Patre, vt diligatis inuicem.* Et: *Qui*
1. Ioan. 4. 21. 1. Ioan. 3. 12. *diligit Deum, diligat & fratrem suum. Non sicut Caïn, qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum. Et quare occidit eum? quia opera ejus maligna erant, fratris autem ejus bona. Non admiremur, fratres, si oderit vos mundus; nos scimus quoniam transiuimus de morte ad vitam, eo quòd diligamus fratres.* Ergo diligamus nos mutuò.

LI. Loquar aliud ad vos audentiùs, Filij charissimi. Ex eo quòd credidit mihi Deus conuersationis vestræ, & sanctæ communicationis gregem, non cessaui cum lacrymis monere & docere singulos, vt placeatis Deo, nec subtraxi ali-

quid, quod vobis vtile sentiebam, vt non dicerem: *Et nunc commendo vos Deo & verbo gratiæ ejus, qui vos poteſt ædificare, & dare vobis hæreditatem cum cunctis.* Vigilate, omni ſtudio curâque contendite, ne obliuiſcamini propoſiti veſtri, ſed implete quod vos ſcitis eſſe pollicitos. *Ego enim jam delibor, & tempus reſolutionis meæ adeſt. Qui certamen bonum ex parte certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. De cætero poſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, juſtus judex, non ſolùm autem mihi ſed & omnibus qui dilexerunt juſtitiam ejus,* & omnia Patris mandata fecerunt. Finis verbi; omnia audi. *Deum time & mandata ejus cuſtodi, quoniam omnis homo. Vniuerſum opus Deus adducet in judicium ſiue bonum ſiue malum.*

Act. 20. 32. *2. Tim. 4. 6.* *Eccl. 12. 14.*

FINIS.

ERRATA SIC CORRIGENDA.

Pagina 5. linea 12 ex ligneis
pag. 18 lin. 32. *Pamelius legit*, ad pacem Dei accedere
Ibid. lin. 37. *ne*, inquit, *iraſcamini*
pag. 61. lin. 7. pro peccatis noſtris nos pati nolle
pag. 75. lin. vlt. vniuerſis fratribus
pag 78. lin. 9. cum fide accipiendi
pag. 101. lin. 10. debitoribus noſtris
pag. 120. lin. 17. nec ad vindictam
pag, 124. lin. 34. Hoc autem fit
pag. 126. lin. 38. cùm ſepelires
pag. 129. lin. 13. ad continentiæ
pag. 137. lin. 12. fratri ſuo Iacob
pag. 174. lin. 34. quantos poterit diſcere
pag. 181. lin. 2. ſed ſi quid Præpoſitus
pag. 184. *in margine ad lin.* 24. degradabunt
pag. 199. lin. 8. *neſcit vt diuidat*
pag. 207. lin. 36. Et alibi